DE CVLTV,

VENERATIONE

INTERCESSIONE, INVOCATIONE, MERITIS, FESTIVITATIBVS, RELIQVIIS, ET miraculis Sanctorum,

Catholica Assertio

IN QVINQVE CLASSES DISTRIBVTA, quibus ratione, auctoritate & facto, sanctorum Ecclesiæ patrum, qui nos mille annis præcesserunt, doctrina expenditur,

In Hagiomachos,

F. THOMA BEAVXAMIS PARISINO, Carmelita Meldunensi auctore.

APERVIT ANTICHRISTVS OS SVVM IN blasphemias ad Deum, blasphemare nomen eius, & tabernaculum eius, & in eos qui in cælo habitant.
Apocal.13.



PARISIIS,
Apud Sebastianum Niuellium sub Ciconiis, via Iacobæa.
1566.

Prima Claſsis Validiſsimis argumentis rationes Hagiomachorum eludit, immo eos ſuis ipſorum mediis confundit, & huius libri ſtatum rationibus apertiſsimis confirmat. fol.1.

Secunda complectitur varia ex vetere teſtamento teſtimonia: quibus Sanctorum Cultus, interceſsio, cognitio, inuocatio, & merita, reliquiarū quoque virtus & honor aſtruitur. fol.17. pag.2.

Tertia idem cōfirmat ex nouo teſtamento. fo.27.

Quarta ab ipſo Chriſto Ieſu ad-uſque Gregoriū primum Pontificem Romanum centū & quinque authorum verba & ſcripta idem comprobantia, recenſet: adiectis tomorum, librorum, & capitum annotationibus. fol.32.

Quinta miracula quæ ante annos mille contigerunt, enarrat: quibus Theſis huius libri dilucidè aſſeritur. fol.103. pag.2.

Omnia ſupputatione annorum, quibus aut à mundo condito, & ante Chriſtum, aut à Chriſto paſſo prolata ſunt illuſtrata.

Reuerendiſs. in Chriſto patri &

DOMINO DOMINO NICOLAO

PELVAEO ARCHIEPISCOPO Senonenſi meritiſs. F. Thomas Beauxamis Carmelita ſalutem & fœlicitatem D.

SI qui forte Hagiomaſtygarum impudentiam examinant, antiſtes doctiſſime, Gigantomachiam ſibi ob oculos ſtatuere videbuntur, qua *Hagiomachi Gigan. conatus ſequuntur.*

Tentauere (nefas) olim detrudere mundo *Vergil. in Aetna.*
Sidera, captiuique Iouis transferre Gigantes.
Imperium, & victo leges imponere cælo.

Si quidem vt illi montes montibus, &
Ter ſunt conati componere Pelio Oſſam, *Verg. lib. 1. Georg.*
Scilicet atque Oſſæ frondoſum imponere Olympum:
Vt centum quiſque pararet *Ouid. lib. 1. Metamorp.*
Iniicere Anguipedum captiuo brachia cælo:

Eodem quoque impetu Hagiomachi
Id eſt imitãtes facta virorũ Gigantũ terra genitorũ.
Γηγενέων ἀνδρῶν μιμόμενοι ἔργα γιγάντων *Homerus in Batrachomyomachia.*

Tumultibus ſacrilegia, & homicidia quibus tãdem ſuperos è cælo deturbarent, addiderunt. Sed cum in cælum ſpuere ac diuæ virginis, ſanctorumque calicolûm, laudi, memoriæ, & honori derogare ſatagunt, quæ iam emiſerant opprobria in ſuum ipſorum caput & faciem redundant, non minus quam ſuis olim mõtibus Gigantes ſepulti finguntur.

Spuere in cælum.

Nimirum & hoc sibi laudi ducunt, famámque celebriorem pariturum arbitrantur, si vt quidam olim in Dianæ templum igne immisso, templa spoliauerint, sanctorum imagines euerterint, sepulcra conspurcarint & fœdarint, reliquias dispersérint, libros & eorum monumenta concremarint, & in ipsorum pietatem ore pleno debacchati fuerint: quasi suos hoc excitent consilio.

Facta Hagiomachorũ.

Iuuenalis. Satyra. 1.

Aude aliquid breuibus Gyaris, & carcere dignũ,
Si vis esse aliquid, probitas laudatur & alget,
Criminibus debent, hortos prætoria, mensas,
Argentũ vetus, & stãtem extra pocula caprum.

Hagiomachi Dionysio tyranno peiores.

Quasi vero & Ecclesiæ Patrimonia, reditus, fundos, vasa aurea, & argentea, gregesque ipsos & pastores hoc astu sibi vendicare possunt, si sanctorum memoriam expunxerint. At neque Dionysius Tyrannus, licet Syracusarũ templa & delubra inuaserit, pecunias abstulerit, statuam Iouis vestitu & omnibus ornamentis quæ octoginta auri talentis æstimabantur spoliarit, Apollinis aureos crines abraserit, mensam etiam argenteam auferri iusserit: non desiit tandem ob extremam mendicitatem stipem ab hominibus cogendo, tympanaque pulsando & modulando vitam exigere. Cuius etsi in pios homines improbitatem satis superque Eubulus fateatur, non proinde tamen meliorem eum famam nactum esse censet: vt & Carmina eius sonant quæ ad verbum referri volumus.

Ælianus li. 1. de varia hist.
Eubulus.
Idem li. 9.

Nullus ob maleficium melior.

,, At est grauibus & sanctis viris contumacior,
,, Et nullis assentatoribus cauillantibusque.
,, Prorsus irascitur: arbitratur vero.

,, Hos solos liberos, etiam si seruus sit,
,, Virorum optimus, edendis quotidie
,, Totis ceruicibus, & sterquiliniis prope.

Eodem sane modo Hagiomastyges sanctorũ delubra reliquias, dicata ornamenta, honorem & venerationem euerterunt, dissiparunt, spoliarunt & inuiderunt: etsi vero quasi in suum ius haec omnia vt trophaea manciparint, nec ditiores tandem euadent, neque nomine meliores. Valet ima summis

,, Mutare, & insignem attenuat deus. *Horat. car. lib. 2.*
,, Obscura promens: hinc apicem rapax
,, Fortuna stridore acuto
,, Sustulit, hic posuisse gaudet

Nitamur tamen & eos ad Poenitentiam euocare, conemur ad Ecclesiae septa reducere, animasque nonnullas dei opt. maximi beneficio lucrari liceat. *Pietas authoris.* *Quis enim non totus mecum insudet, quis non auscultet & faueat, vbi quae dei, suorúmque, quae animarum, salutisque aeternae sunt sectanda esse audiat? Nam cum hactenus Garetius vt Eucharistiae sacrosanctae mysterium discuteret, antiquarum id patrum assecutus sit authoritate, quod in sacramentarios nitebatur eóque stilo mortuos viuorum precibus adiuuari asseruerit, satis michi superque satis fecisse videbatur qui rẽ tot aduersariis partibus distortã, acceptam, commentatam, prophanatam, defoedatam non suo tantum, sed & omnium Catholicae Ecclesiae patrum testimonio confirmauerit.* *Cur hic lib. conscriptus.* *Cum enim vbi lis coram iudice statuitur, neutrae partium credatur, sed antiquissimi, probatissimi, & qui reiici non possunt, testes proponi debeant, omnem calumniam hac arte* *Sub iudice lis est.*

procul & auertit, sibique veritatem omnibus etiam oculatißimis censoribus vindicauit. Hoc enim est puros latices, nitidasque scaturigines inquirere, nō turbidas, & furtiuas aquas potare, non cisternas dißipatas fodere. Nimirum sapiens ita nos admonet patrum doctrinæ adhærere, vt terminos quos illi posuerunt, transgredi non liceat. Hoc sane etiam Sisinij nouatiani consilium fuit, cum Theodosius Macedonianos, Arrianos, Eunomianos, Eustachianos, Apollinaristas, Antropomorphitas, Nouatianos, cæterosq́ sui seculi hæreticos permiscere, in se inuicem pugnaturos erigere & disputationibus veritatem elici, inuectas autem opiniones abiici vellet. Tum enim Sisinnius ad Nectariū, vanas & sine disciplina quæstiones euitandas, quæ scandalum potius quam veritatem pariant, sciscitandum vero à singularum factionum principibus, quidnam de antiquis patribus sentiant: num eos iudices, num testes quibus tot in partes agitata quæstio definiatur, admittant. Si enim eos qui decesßiones hæreseων præcesserunt, audire renuant: fateantur, inquit, necesse est suam ipsorum arrogantiam vt qui electos viros & sanctos paruiducunt, quo securius suas fantasias pro dogmatibus Ecclesiasticis intrudant. Hoc igitur ipso proprio satis ore conuincentur, & mendacij arguentur, quod veritatis professores audire contemnent. Si vero primos illos patres amplectantur, & verbis eorum aures arrigant. futurum dicebat, vt & ipsi suis opinionibus abiectis, vnius Ecclesiæ fidem susciperent. Pari quoque modo in Hagiomachos mihi agendum putaui. Nam cum diametro pugnemus, neque meum ipsius, neque ego illorum admitti testimonium volo: sed eos qui nos plus mille annis præcesserunt, qui primitiuā

Hiere.5.c.

Prou.22.d.

Nicep.l. 12. cap.15.

Hist.tripar. lib.9.ca.19.

Laudabile Sisinij nouatiani dictū.

Ecclesiā decorarunt legēdos, & auscultādos, propono: vt quid de sanctorum Cultu, inuocatione, intercessione, meritis, festiuitatibus, reliquiis & miraculis censerint, docuerint, scripserint, palam edicant, & sanciunt. Spero sane hoc diluendi, & comprobandi modo sycophantarum ora obstruere: & velint, nolint, eorum impudentiam excutere. Quid enim? Sequentur antiquos illos Patres? Si id fecerint, ad Ecclesiam reuertentur, & nobiscum D. Virginem Mariā omnesque sanctos venerabuntur, & orabunt. Homines fuisse, proinde nec audiendos esse contēdent? Quasi vero Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, martyres, imo Christus ipse quem Pater è cælo audiendum admonuit, verus homo non fuerit. Ergo quia homines, attendendi non sunt? Quis vero Luther, Caluinus, Besza, qui denique cæteri qui de Euangelio gloriantur quod impugnāt? Nonne homines? Nisi forsan Lutherus se ab incubo dæmone conceptum esse ostentet, & proinde se verū hominē esse inficietur. Nisi quoque omnes Hagiomachi se nihil quod humanum sit sapere, sed omnes dæmonū impietates spirare fateantur? vnde nec se homines, sed cacodæmones agnoscant. Vellent vtique illi aut flammis antiquorum patrum monumenta deuoueri, aut saltem quæ in suas sectas militant deleri, hæreticis dogmatibus commutari, ne quas hinc machinas in furiosos illorum impetus depromeremus. Sic illi Harpyis omnibus fœdiores,

Heretici nō possunt patres antiquos reiicere, nisi statim se vē dacij fautores velint ostendent.

Homines audiendi.

Fontanus, et Cochleus l. de statu religionis.

,, Magnis quatiunt clangoribus alas,
,, Diripiuntq; dapes, cōtactu quæ omnia fœdāt
,, Immundo: tum vox tetrum dira inter odorē.

Verg. li. 3. Aeneidos.

Verbū quippe dei, quo magis animæ nostræ recreātur & pascūtur, Ecclesiæ patrūq; doctrinā qua fouemur, excitatis tumultibus, diripuerūt, & cōspurcarūt: vt eorū

fœtida, & inhumana vox sola personarit.

Ibidem. ,, Virginei volucrum vultus, fœdissima ventris
,, Proluuies, vnceque manus, & pallida semper
,, Ora fame.

Tertullianus li. de ieiunio in Physicos. *Hagiomachi quoque etsi virgineam puramque doctrinam ostentent, ventres tamen ingluuie lacerantur, qua ieiunia oderunt, vncæ manus sunt quibus sacrilegia & furta patrarunt, reliquias martyrum suo decore priuarunt: fame vtique ipsa morte pallidiores, vt qui & in sanguinem ferantur, nec eo satiari queant.*

Lucan' li. 1. belli Pharsali. ,, Vtque ferę tigres nunquam posuere furorē,
,, Quas nemore hyrcano matrum dum lustra
,, sequuntur.
,, Altus cæsorum pauit cruor armentorum:
,, Sic & inhumanum solitis collābere ferrum,
,, Durat dira sitis.

Voracitas Hagiomachorum. *Fameque ipsi depereunt, vt qui licet omnia depascere, Ecclesiæ catholicæ temporalia, immo quoque & spiritualia deuorare possent: nec adhuc tamen his saturētur. Hinc igitur primorum Ecclesiæ patrum monumenta, aut abiciūt aut fœdare nituntur, vt non* *Verbum pollutum.* *nisi polluto verbo pascamur, immo potius in famem auidiorem tanto erigamur, quo magis conspurcatus* *Diuini auxilij imploratio.* *ille cibus nobis appositus fuerit. At vero tu deus omnipotens eorum impetus, fraudes, & imposturas disrumpe, vosque sancti omnes, qui estis consortes supernorum ciuium, vestris quæso apud deum precibus.*

Verg. lib. 1. Æneid. Prohibete minas, vos talem auertite casum,
Vos placidi seruate pios.

Vtinam quoque sacræ Ecclesiæ antistites, pastores, do-

ctores, concionatores, ad hoc omnes laborent, proni certantibus æquora remis verrant: *vt omnia catholicorum patrum scripta quæ latuerunt in lucem prodeant, quique hactenus Bibliothecis reponi consueuerunt conseruentur, publicentur, & in suo nitore perseuerant. Nihil enim est quod hæreticos conuincat magis quam antiquitas, nihil quod ipsos magis conticescere faciat. experiar nunc sane enim quis pudor apud eos remanserit. nūc etiam spiritum sanctum aspernentur, quo pleni locuti sunt sancti dei homines. & quidem meam* non ego linguam Pet.2.

,, Tam fragilē cōmitto vadis, ne forte canenti,
,, Obruat exiguam violentior vnda loquelam.
,, Tangere pauca libet, tutas conabor arenas: *Arator dia con.l.2.in acta Apost.*

Nec mihi sed antiquis Ecclesiæ luminibus credi postulo præmissa quidem breui, eorum quæ aduersum nos efferunt, refutatione, aciem ego triplicem, in Hagiomachos instruo. Eorum enim qui suis eos testimoniis obruturi sunt, alij ex antiquo, alij ex nouo testamento, alij à primis Ecclesiæ Catholicæ quingentis annis, & Græci & Latini prodeūt. Sequetur & miraculorum quorumdam breuis enarratio: qua cultū, sanctarumque reliquiarum virtutē, diuorum intercessionem comprobemus. Omnia quidem quæ ante mille annos contigerint. Hos autem ego authores selegi, non quod cæteros qui quingentos primos annos secuti sunt, asperner: sed vt antiquissimum diuorum cultum, antiquissimis testibus confirmem. Spero tamē aliquando deo optimo maximo iuuante, thesin hanc quingentis, aut aliis mille annis subsequentibus prosequi. & de imaginibus crucisque signo idem facere,

quo tandem etiam grauiora tentare valeamus. Cui vero magis quam tibi Antistes dignißime, hoc qualecunque est opusculum dedicare poßim? Multæ sane ad hoc me rationes impellunt, & prouocant. Nam cum Meleduni verbi dei ministerium exegerim, præter id quod viua voce meæ fidei testimonium edidi, etiam & tibi Senonẽsi Archiepiscopo quid mei scripti laboris deberi arbitratus sum. Cúmq; in tua Diœcesi carmelitarum in numerum, deo volente ascriptus sim, rationem sane quandam meorum studiorum habere debuisti. Sed & frequentes quas de hac quæstione cum Hagiomachis in tua diœcesi inij disputationes, vt hæc tuo nomini dicarentur, effecerunt. Reuerentia enim tua, & doctrina, necnon aßiduæ in Gregem vigiliæ, huic nostro operi, vigorem, & decorem allatura sunt: maxime apud eos quibus prælatus es. Hoc quoque qualicunque munusculo, tuæ dignißimæ paternitati, me tuúmque Melduneum Carmelũ commendatum reddere, & obsequentißimum esse testari volui. Faxit, deus vt vberiora post viduæ munusculum offerre tibi poßimus. Hæc interim, nósque benigno vultu in tuorum numerum censere dignare. E Carmelo Parisino, anno 1566. 4. Cal. Februa.

SANCTORVM
ECCLESIAE PATRVM
QVORVM TANDEM TESTI-
monia proferuntur Chronologia

Ex Vetere Testamento.

Anno ante Christum.	
	Dominus Deus.
1916	Abraham.
	Loth.
1792	Deus ad Isaac.
1731	Iacob.
1654	Ioseph.
1507	Moyses.
1515	Elipham.
	Iob.
	Heliu.
1072	Dauid.
1032	Salomon.
	Ahia.
857	Helisæus.
722	Tobias.
	S.Raphael.
712	Iudith.
650	Iosias.
625	Baruch.
594	Azarias.
	Vir vestitus lineis apud Danielem.
520	Zacharias.

160 Iudas Machabæus.
Iesus filius Syrach.

Ex Nouo Testamento.

Temporibus Christi aut statim post Christum.

Dominus noster Christus Iesus.
Angelus Gabriel.
Elisabeth.
S.Maria Mater Dei.
S.Paulus Apostolus.
S.Lucas.
Mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur.
S.Ioannes Euangelista.
Turbæ Iudæorum.

Antiquorum Ecclesiæ Patrum à Christo Passo Chronologia.

Anno Domini.

S.Simon Zelotes.
S.Iacobus frater Domini.
S.Petrus Apostolorum Coryphæus.
S.Martialis Christi discipulus.
S.Abdias.
S.Hermas.
90 S.Hierotheus.
100 S.Dionysius Areopagita.
110 S.Clemens Papa & Martyr.
10 S.Linus Papa & Martyr.
112 S.Aurelianus.
147 S.Pius.
184 S.Ireneus.
200 Tertullianus Afer.
Clemens Alexandrinus.

220	S.Hippolytus Episcopus & Martyr.
	S.Potamiana Martyr.
230	S.Origenes Adamantius.
242	S.Fabianus Martyr.
	S.Margareta.
250	S.Iustina.
255	S.Cornelius P.& Martyr.
260	S.Cyprianus.
	S.Methodius.
300	Arnobius Presbyter.
316	Constantinus magnus.
320	S.Antonius magnus Abbas.
324	Concilium Gangrense.
330	Concilium Carthaginense.
	S.Asterius Amazeæ Episcopus.
332	S.Eusebius Pamphili Cæsariensis.
334	S.Dorotheus Martyr.
346	S.Athanasius Alexandrinus.
350	S.Ioannes Clymacus.
Anno	S.Macarius Ægyptius.
Domini.	Petrus Alexandrinus.
360	S.Hilarius Pictauiensis.
363	S.Apollo Aseta.
366	S.OptatusMileuitanus.
370	S.Fœlix papa & martyr.
371	S.Basilius.
373	S.Cyrillus Ierosolymitanus.
374	S.Gregorius Nyssenus.
378	S.Gregorius Nazianzenus.
	S.Maria Ægyptiaca.
380	S.Amphylochius.

S.Prudentius.
381 S.Onuphrius.
382 S.Paphnucius.
S.Maximus Martyr.
S.Effrem.
390 S.Palladius.
S.Agapetus Aſcetes.
S.Ambroſius Mediolanenſis.
S.Ioannes Damaſcenus.
396 Gregorius Presbyter Græcus.
400 S.Heſychius.
S.Iulia Virgo.
404 Concilium Carthaginenſe quintum.
S.Ioannes Ieroſolymitanus Carmelita.
S.Nectarius Conſtantinopolitanus.
406 Claudianus Poëta.
49 S.Hieronymus.
S.Paula & Euſtochium.
410 S.Chromatius & Helyodorus.
413 S.Epiphanius.
414 I.Ioannes Chryſoſtomus.
417 Gallus.
418 Seuerus Sulpitius.
420 S.Maximus Taurinenſis.
425 S.Auguſtinus.
426 S.Pontius Paulinus Nolanus.
427 Paulinus Mediolanenſis.
428 Sedulius Epiſcopus.
429 Abbas Iſaac.
430 S.Atticus Conſtantinopolitanus.
434 Ioannes Caſsianus.

Anno Domini.	
437	Mercurius Sosomenus.
438	S.Cyrillus Alexandrinus.
439	Ruffinus Aquileiensis.
440	Socrates Scholasticus.
	S.Eucherius Lugdunensis.
	S.Primasius Iustinopolitanus.
441	S.Leo.
446	S.Iacobus Edessenus.
	S.Sophronius.
	S.Iacobus Ascetes.
450	Theodoretus Cyensis.
	Georgius Alexandrinus.
	Procopius Gazeus sophistes.
451	Petrus Chrysologus.
454	S.Vigilius Tridentinus.
455	S.Prosper Aquitanicus.
456	S.Victor Vticensis.
480	S.Fulgentius Ruspensis.
	Arcadius Cypri.
490	Vincentius Lirinensis.
	Procopius Cæsariensis
500	Euagrius prætor.
	Theodorus anagnosta.
	Theodorus Antistes Studiensis.
	Theodorus Episcopus Pentapoleos.
520	S. Paulus Neapolitanus.
530	S.Benedictus Abbas.
570	S.Gregorius Papa.

INGENVO ET CAtholico Lectori.

Forte mirabere, Christiane lector, cur succinctam hanc pro sanctorum cultu & suffragiis assertionẽ, quinque classibus distribuerim: ego vero qua ratione vt id facerem adductus sim, breuibus te commonitum volo. Cum igitur omnis nostra probatio aut rationi, aut authoritati, aut facto innitatur: primam classem rationi deputaui, qua scilicet argumenta Hagiomachorum refellere, nostra quoque in medium proferre volui, quo tandem velut erectis animis.

quantum clamore iuuatur
Elæus sonipes, quamuis iam carcere clauso
Immineat foribus, pronusque repagula laxet.

Lucanus lib. 1. de bello Pharsalico.

Tanto paratiores, & ad audiendos Catholicæ Ecclesiæ patres auidiores in vastum scripturarum campũ deducerem. Postquam ergo ratione quod volui, prima discussi tres tandem classis authoritati ceu patrum testimoniis assignaui. Nimirum temporum ratione habita, cum eorum alij sub vetere instrumento vixerint, alij Christo fuerint contemporanei, eorúmque dicta nouo testamento contineãtur, alij rursus qui Christum secuti, pias & Ecclesiæ perutiles lucubrationes ediderint: secunda classis patres veteris testamenti, tertia eos quorum testimonia nouo panduntur, quarta eos qui Christum secuti, nos mille plus annis præ-

cesserunt complectitur. Et ne qua confirmationis via huic opusculo deesset, quintã classem addidimus, qua miraculis velut apertißimis factis, statum ceu thesin nostræ elucubrationis concluderemus, Quanti id nobis fuerit laboris, potes apud temetipsum ingenue perpendere: quantæ tibi sit vtilitatis, plenius agnosces. Habet enim catholicus quibus se in Hagiomachos tueatur: habet Hagiomachus quibus lectis, & mente docili examinatis, resipiscat: Habet concionator fidelis quibus frequentes diebus sanctorum festis expromat homilias, rationes scilicet, sacrarum scripturarum testimonia, antiquorum Ecclesiæ patrum decreta, & miracula: quæ vbi temperare nouerit, doctißimas ad populum conciones habiturus est. Habet lector vnde doceatur, & vnde delectetur. Narratio quippe miraculorum tantam adferet delectationem, quantam priores quinque classes doctrinam. Hoc igitur vtere Catholice lector, & tandem, in omnia quæ per quadragesimam leguntur Euangelia Tabulas, quibus triplici methodo Ecclesiastes rex sanctißimorum Ecclesiæ patrum fontibus conciones erigat, Deo optimo maximo ceptis fauente accipies. Vale.

Index Rerum Insigni-VM, QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR, CVIVS A primam paginam: B verò secundam indicat.

A

** ij

C

D

E

L

M

N

O

Q

R

S

Z

Claßis prima complectitur

OCTO CAPITA IN HAGIOMACHOS PRAEFATIONIS VICEM

supplentia per F. Thomam Beaulxamis Carmelitam Lutetiæ Baccalaureum.

Omnes ferè Hagiomachi vt Cultum dæmonum induerent sanctorum Venerationem reiecerunt.

Cap. I.

HAgiomachi hoc ipso sathanico spiritu incalescere videntur, quod homines in cœlum admitti, æterna beatitudine donari, à deo Opt. Max. honorari, ab omni Ecclesia laudibus celebrari indoleant. Hoc quippe illud est, hinc illæ lachrymæ, illa conflictatio: quod Sathan tanquam fulgur è cœlo in abyssum cum suis præcipitatus sit, & ea qua priuatus est, homo fœlicitate resplendeat, illo rudentibus inferni tradito & in æternum cruciando. Hagiomachi quoque quod à prima post naufragium tabula in contradictionum gurgites: ab Ecclesia electorum, in malignantium se cõtubernia deiecerunt: dum & fidem Ecclesię, & illius traditiones aspernantur, pessundant, conculcant, eos simul qui hanc nobis disciplinam sua do-

Esa. 14. Luc. 10. c Luc. 15. 2. Pet. 2. a

Hagiomachi dæmonibus peiores. ctrina, cōuersatione, scriptis, sanguine, & morte insculpserunt, posterisque ratam & indubiā reliquerūt, quibus possunt, machinis oppugnāt. *Grego. Nazanz. orat. 1. in Iulia.* Talis olim Iulianus Apostata qui quod Martyribus suum honorem inuidebat, sæpisime ab eorum effundendo sanguine abstinuit. Videbat enim & eorum quantumlibet dispersos cineres colligi, Martyria posteritatis memoriæ reseruari, laudes pandi, festiuitates annuas obseruari: proinde etsi quidem sanguine Christianorum gauderet, quos tamen in fide solidiores suæ perfidiæ palam resistere videbat, malebat exilio mulctare, quam quouis supplicio perimere. Adeo Martyrum honorem, venerationem & cultum despuebat. *Concilium Gangrense primum.* Hoc sane ille & à Satana exhauserat, & è lacunis Eustathij hæretici qui in Gangrensi concilio damnatus est, deprompserat. Hic enim sanctorum Martyrum loca, Basilicas, & reliquias contemnere docuerat eósque qui illuc conuenissent reprehensione dignos asserebat. Hāc quoque impietatem vt è Christiano Ethnicus factus fuerat, ita ab Ethnicis Iulianus acceperat. Cui enim martyrum basilicæ, sepulcro, ossibus, & cineribus Gentiles pepercerunt, vbi dispergendi facultas adfuit? Immo apud Sebasten Palæstinæ sepulcrum Ioannis Baptistæ mente rabida & funestis manibus inuaserunt, ossa effuderunt, atque ea rursum collecta igni concremarunt, & sanctos cineres pulueri immixtos per agros & rura disseminarunt. *Ruffinus li. 1. hist. Ecclesiast. c. 28* Hoc olim quoque de Gentibus Da-

uid defleuerat, dicens: Polluerũt templum sanctum tuum, posuerunt morticinia seruorum tuorum escas volatilibus cæli, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ. Videant Hagiomachi qui hac nostra misera tempestate tot delubra, aras, sepulcra, templáque euerterunt: tot calices, capsulas seu argentea feretra quibus sanctorum reliquiæ reseruabantur, tot aurea vasa dilapidarunt: Martyrumque omnium memoriam radicitus euellere & nixi sunt, & in dies conantur, quosnam his in præclarè gestis æmulẽtur. Gentiles scilicet, Iulianumque Apostatam, immo addam Constantinũ Copronymũ Leonis Isauri filium impurissimũ. Hic enim vt Suydas refert præter effrenatas libidines, dæmonũ inuocationes, aliáque praua studia quibus sese exercuit, eo dementiæ & vecordiæ peruenit, vt sanctione reliquias sanctorum inuentas despui iuberet, intercessionem vero illorum, quasi nihil possent, petere prohiberet. Quin mortalium omnium impurissimus præcipere est ausus, ne quis Mariæ intercessionem imploraret. Atqui venerem ille coluit, & victimas humanas ex aduerso vrbi Rom. sacrificans obtulit: vbi diuæ Mauræ templum fuit quod solo æquatum, & per cædes profanatum, Maũram deinde locum ipse appellauit: in quo noctu sacra facere & pueros mactare solitus fuit. Sic quicunque Christi martyres persecuti sunt, hoc vtique vt & Christi religionem destruerent, & Dæmonum cultum inducerent. Iulianus enim male-

Constantius Copronym. in sanctos impietas.

Suydas in historicis.

Maluit Venerem & demonia Copronymus adorare quã D. Mariã & sanctos venerari.

Infanda sacrificia.

Nicephor. Callist. lib. 10. hist. Eccles. cap. 35.

bat dęmonum ſpelea quam Martyrum adire ſepulcra,& vt in Carris grauidas mulieres, & infantes dæmonibus mactare, quam ſupplicem orationem ſanctis vt pro eo intercederent offerre. Et Hagiomachi quidem dum dei teſtibus inuident, num Diabolicam religionem aſſerunt? Et hoc ipſo ſane Dæmonibus peiores cenſeantur, vt quibus adhuc pateat pœnitentię locus,& ad eam qua exciderant Eccleſiam regreſſus, malint tamen in Deum, Chriſtum, Tabernaculum eius & ſanctos qui in cœlo habitant, blaſphemias eructare, quam ſuæ ſaluti conſulere. Obſtinatum vtique genus hominum & impium: vt qui ſanctorum merita, preces, reliquiarúmque virtutem impudenter inficientur: quæ tamen olim Dæmones in templis, ad martyrum ſepulcra coram omni Eccleſia toties alta voce teſtati ſunt. Infelices qui ſanctorum patrocinia malint detractione mordere, quam, vt iis Chriſtus ipſe demulceatur, ſeque propitium errantibus faciat ad ſanctos accedere. Elati & ſuperbi qui ſuos quantumuis ſacrilegos, rebelles, Luxurioſos, Apoſtatas, ſeditioſos, ſiccarios, etiam antequam extremum diem clauſerint, & ſua morte ſuam (ſi qua eſſet) in ſanctitate conſtantiam demonſtrarint, beatos tamen, amicos dei, ſeruos optimos, vaſa ſpiritus ſancti, Eccleſiæ non columina tantum ſed & reformatores, expurgatores, & vt ſemel rudius dicam, viuificatores prędicāt: immo Apoſtolos Chriſti, ſcribas, notarios, à ſecretis deo, multiſque aliis ſpu-

S. Amb. Ser. 91. de inuentione corporum S. Geruaſii & Prothaſ. Chriſoſt. lib. contra Gentiles Hierony. epiſt. ad Riparium.

Ambitio Hagiomachorum.

mantibus titulis exornant: ſanctos autem qui deo fruuntur, de mundo, peccato, & inferno triumpharunt ne minimo quidem encomio dignentur. Paſsim etiam inuenias qui ex eorum cauernis, immo lacunis prodierunt Martyres efferri, laudari, illorum pertinax martyrium deſcribi, legi, proponi, imprimi, venundari, proclamari: cum interim ſi quod antiquiſsimũ volumen de Catholicorum martyrum conſtantia nacti ſint, ſubſannent, cachinum moueant ſtolidúmque caput excutiant. Adeo illis ſua placent, vt optima quęque dedignentur. Hæc mihi multoties rimanti, adeo abſurda viſa ſunt, vt vix aduerſa valetudo, variæque occupationes me à ſcribendo deterruerint. Cõſului, legi, obſeruaui antiquos illos Eccleſiæ Catholicæ Patres quid de hac re ſentirent, vno demum ore omnes comperi & noſtra confirmare, & Hagiomachos validiſsimis argumentis profligare. Illos autem ſelegi, qui nos mille annis pręceſsiſſent, ne quis aduerſariis noſtris ſuper-eſſet ſubterfugij locus, dicántque vt aſſolent recentem eſſe de ſanctorum inuocatione diſciplinam. Porro cum duobus maxime aliquid ratum faciamus, refutatione & confirmatione, primum quidem operæpretium eſt Hagiomachorum rationes refellere, vt liberius quid Veteris & noui teſtamenti quidque ptimorum Eccleſiæ Patrum monumenta teſtentur, proferamus.

Hagyomachi ſuos habent Martyres.

Sanctorum reliquias & honorandas, & reseruandas esse earumque virtus.

Cap. 2.

Epiphanius tom.1.lib.1. in hæreses secta 9.in Samaritas.

Resoluitur error Samaritanorum.

POssem vtique Hæreticorum turmas sic inter se committere, vt Catholicis solo spectaculo illóque lętissimo opus esset: illis inter se confligentibus, seque inuicem vt maris procellosis fluctibus accidit, perimentibus. Fuerunt enim Samaritani qui corporis mortui reliquias immundas dixerunt, adeo vt qui tetigisset cadauer, immundum putassent. Sequebātur scilicet mortuam literam, quę cum à morticinio cauere iubet, à peccatis se continere admonet. Alioquin & filij Israel immundi fuissent, qui ossa Ioseph & Patriarcharum per solitudinem circumtulissent: immundus deus qui Mosen sæpelierit: immunda Respha, quæ Saulis filiorum corpora custodierit, eisque cilicium substrauerit: immundi Apostoli qui Lazari mortui corpus tetigerint, immundi Angeli qui Christi mortuo cadaueri excubias reddiderint. Et omnes immundi sunt qui mortuorum cadauera excubias reddiderint. Et omnes immundi sunt qui mortuorum cadauera sæpeliunt. Hanc igitur hæresim non omnino Hagiomachi amplectuntur, cum suorum corpora terræ demandēt: nisi & immūdos arbitrentur qui reliquias martyrum cum veneratione excipiunt. Cur istud? Quod sensus expertes illas esse ostentent. At verò sensus expers erat arca domini. quanto au

Exod.13.d Deut.34.b 2.Reg.21.b Ioan.11. Mar.16.

Prima Hagiomachorū obiectio, quod sanctorum corpora sint sensus expertia eluditur.

tem honore, non à Iudæis & Israelitica modo plebe excepta est, sed & à Philistæis? Quanto cum timore? Quoties Moses & Aaron ante eam se prostrarunt? Quoties populo ne ei adiungeretur prohibuerũt? Quod scilicet sancta sanctis committenda sint. Num tu corpus illud Martyris quod sacramentis consignatum est, quod resurrecturum, & beatitudine potiturum est minoris ipsa arca putas, quæ ad tempus tantum data est, nec omnium bonorum particeps futura est? Nolim pluribus hic respondere, sat enim est quod sensu careat martyris corpus, eius reliquiis non officere docuisse. Sed enim dicant ne virtute diuina destitui? Hoc quippe virus Vigilãtius & Eunomius euomebat. Hem quam in ipso meridie cecutiunt. Si sanctorum reliquiæ omni virtute denudantur, quomodo igitur verum erit quod Regũ de Helisæo pandit historia? Quidam sepelientes hominem proiecerunt cadauer in sepulcrum Helisæi, quod cum tetigisset ossa Helisæi reuixit homo, & stetit super pedes suos. Hoccine parui momenti est mortuũ solo attactu excitare? Id tamen Helysæi reliquiæ fecerunt. Vellent sane Hagiomachi hanc è sacris bibliis historiam deleri, adeo quæ suis somniis contraria sunt, auersantur. Num verò & vestis Christi fimbriæ attactu, & vmbra Petri, & Sudariis & semicinctiis Pauli sanati sunt infirmi & dæmones eiecti? Sed quod ossa sanctorum osculemur, & amplectamur ægrè ferunt. Et illi sane si quos libellos sup

1.Re.4.a.b
2.Reg.7.a
Numer.12.
Iosue 3.a
Ios.6.a
2.Para.5.
1.Cor.15.
Heb.9.
1.Cor.6.
Roma.8.b

Corpora sanctorum arca nobiliora.

Aug.l. de Ecclesiast. dogmat.c.73

4.Reg.13.
Virtus sacrarũ reliquiarum ex sacra scriptura expenditur.

Mat.6.g
Luc.8.f
Act.5.b
Act.19.b

Similitudo qua vrgetur reliquiarũ veneratio. plices, iudici, principi aut regi, si quas literas etiam nobili cuicunque illis superiori porrigant, prius & libellos & literas in obsequij tesseram exosculantur. Minoris erunt reliquiæ Martyrum quam eorum libelli & literę? Magis dicam. *Libellum supplicem oblaturi osculantur: Principum Linteamina osculantur.* Qui principum lectulos sternunt capite aperto, Pileo seposito, genu flexo, & linteamina etiam ipsa osculantur: cur idem honoris impendi sacris reliquiis inuident? Peccatores forsan adorabunt, ne beatos venerentur. Addunt verò nec tam digne sanctorum corpora reseruanda. *Reseruatio sanctarum reliquiarũ.* Quid ergo? Nimirum vt illi (Proh scelus) factitarunt dispergenda, conculcanda, comburenda, in fluctus deiicienda, ne qua eorum mentio fiat. Quid enim non execrandum impurissimi homines in purissimorum Irenæi, & Martini, reliquias Lugduni & Turonis exercuerunt? *Hagiomachorum impietas.* Idem scilicet & Apostolorum corporibus quæ Tholosæ summa in veneratione habentur, idem Lutetiæ D. Genouefes, Germani, Marcelli, idem omnibus denique omnium sanctorum ossibus fecissent, si manus illis liberæ fuissent. *Exod. 25. a Heb. 9.* Hoc sanè Martyres horrentes & sanctos, non quod eos veneremur, sed quod illi Hæreticam perfidiam non astruxerint. Digne vtique reseruatæ tabulæ, manna, virga Mosis & Aaron diuini beneficij reliquiæ, nec digne sanctorum ossa conseruabimus?

Sanctorum Veneratio dei cultum promouet, tantum abest vt Idololatriam excitet: vt Hagiomachi

e contra Idololatriam adducere nitantur.
Cap. 3.

OBiiciunt vero, nos deum, vt ſanctos colamus, relinquere. Nimirum idem Chriſtianis olim cum de S. Polycarpi corpore ageretur, Iudæi impoſuerunt. Ignorantes miſerrimi quod nec dominum abiicimus cum eius ſeruos & amicos honoramus, & Martyres tanquam domini diſcipulos diligimus & veneramur, vt qui fidem magiſtro integram ſeruauerint. Quomodo etiam non honorandi ſunt, qui cultores, & amici & filij dei ſunt? Nam honor erga gratos & benignos conſeruos, beneuolentiæ erga communem dominum indicium eſt. De eis nimirum vt & de omnibus prælatis dominus dixerat. Qui vos ſpernit me ſpernit. Et ſicut cum Paulus fidelium ſanguinem ſitiret, cum Chriſto bellare dicebatur, ita qui ſanctos & electos dei dedecore aſpergūt, ipſum eodem Chriſtum afficere videntur. Tantum igitur abeſt vt ſanctos honorando, dei vnius cultum abiiciamus, quod deum in ſanctis ipſis vberius glorificamus. Age ſcilicet quę ſubalterna ſunt vniuerſo, num illud confirmant? Primumque ſubalternorum ratio habetur, quo vniuerſi natura vberius pateat? Hic enim naturæ ordo eſt vt ab indiuiduis ad ſpecies, à ſpeciebus ad genera procedamus. Et qui natura duce in vniuerſorum cognitionem feruntur, primum indiuiduo

Euſeb. cæſarien. hiſt. Eccle. l. 4. c. 16.

Sanctorum veneratio nō extinguit dei cultum.

Damaſc. li. 4. de fide orthod. c. 16.

Ioan. 15. b

Lucæ 10. c

2. Theſ. 4. b

Acto. 9.

Qui ſanctis detrahunt, deo aduerſantur.

Probatio quod Veneratio ſanctorum dei cultum confirmet.

rum rationem perſcrutantur, vt ex multis obſeruationibus demonſtratio conſtetur. Hanc vtique etiam homini Chriſtiano D. Paulus procedendi diſciplinam aſsignat, inuiſibilia enim, inquit, per ea quæ facta ſunt viſibilia, cognoſcuntur, ſempiterna quoque eius virtus & diuinitas. En dependentia non dei deſtruunt, ſed aſtruunt cognitionem'. Quid tu Hagiomache dependentium à deo ſanctorum honorem, memoriam, venerationem, virtutem, quę dei ſunt, obliterare aſſeris? Immo quæ dei ſunt aſſerunt, cum quæ ſanctorum ſint, ſint & dei: honórque ſeruorum redundet in dominum. Dic enim Hagiomache ſi ſubalternus honor Dei & Chriſti honori officit: cur deus Patrem & Matrem honorare iubet? cur regem? cur Imperatorem? cur principem? cur acam? cur templum? cur ſacerdotem? cur Apoſtolos? Hæc enim in creaturarum numerum cenſentur. Si ergo quoties Creaturæ honorem impendimus (dicunt ſcilicet ſanctos creaturas eſſe, proinde non venerandos) toties Dei vnius cultui & adorationi derogamus, & vt in ore eſt omnium veſtrum Idololatramus: Deus ergo optimus maximus nos Idololatriam edocuit, cum Parentes, reges, Apoſtolos, Principes, honorare pręcepit. Quis hác ferat blaſphemiam? Lubet ſanè cum Terentio exclamare.

O cælum! o terra! o maria Neptuni!

-Terrane dehiſcent

Subſidentque orbes, ad tantam impudentis

Roma. 1. *Honor ſubalternus vniuerſum nō tollit & ſummum.* *Deus honorem ſubalternum præcepit.* *Exo. 20. d.* *Leuit. 19. g* *Deuter. 5. b* *1. Reg. 15. f* *Malach. 1. d* *Eccle. 7. e* *Epheſ. 6. a* *1. Pet. 2. e* *Ioſue 3. a* *3. Reg. 8.* *Terentius in Adel.* *Luc. l. 1. Pharſaliæ.* *Hagioma-*

Hagiomachi licētiam? Non vidēt omnes quot ex vna consequantur blaſphemię, quot ex vno corpore capita exurgant? *Sancti*, inquiunt, *creaturæ ſunt, Ergo non honorandi.* Quod creaturæ ſint cōcedo, quod non honorandi, nego. Alioquin nulla creatura honoranda eſt: vt ſi ſic erigatur ratiocinatio.

chi deū idololatriam præcepiſſe contendunt.

Nulla creatura honoranda eſt:
Sancti ſunt creaturæ,
Ergo ſancti non ſunt honorandi.

Magnates omnes aures arrigant.

Protinus Catholicus maiorem præmiſſam impiam & blaſphemam eſſe proclamabit, hoc ſyllogiſmo.

Omnes Parentes, reges, & Principes, cum homines ſint creaturæ ſunt:
Sed Deus eos honorare non permiſit modo, ſed & præcepit:
Ergo creaturas honorare præcepit.

Quomodo ergo verificabuntur ſimul contradictoriæ? Huc adeſte igitur patres & matres omnes, huc reges & principes: hic veſtra intereſt, hic veſtra cauſa ventilatur: negant vlli creaturę impendendum honorem, ergo nec vobis. En quò ſerpat hæreſis. Num illud eſt hominē, ne hominis immo ne animalis quidem nomine dignum cenſere? Bruta quippe animantia & matres agnoſcunt, & eis adblandiūtur: & ciconiæ beneficium ſenio confectis parentibus referunt.

Hagiomachi quò nos præcipitare adnitantur.

Sed & aliam quæ conſequitur blaſphemiam expendamus.

Altera Hagiomachorum blaſphemia quod

deus sit idololatra. *Qui honorat sanctos*,inquiũt,*idololatra est*.subiicio
Psal. 138. b *Sed Deus* (suo modo) *honorat sanctos suos:*
Ioan. 12. d *Ergo Deus Idololatra est.*

Quod sanctos suos honoret pater,confirmat ipse Christus, vt Ioannes Euangelista testis est. O hominem insanum, qui dum quæ fert opinio sequitur, non videat in quam se blasphemiarum sentinam deiiciat. His igitur Hagiomachorum disruptis machinis,nonnulla in eos tela euibremus.Paucis ego vos Hagiomachi cõuenio,videte quid ad simplicem facilémque argumentationem respondeatis.

Quod sancti sint omnibus mortalibus honorabiliores.

Quanto quid & gratia & gloria vberius est, tanto est & honorabilius:
Sed in cœlo sancti comprehensores vtroque fœcundiores sunt viatoribus:
Sunt igitur & honorabiliores.

Maioris probatio. Prior enim præmissa, inductione omni, & authoritate probabitur. Nã Deũ quod & gratiæ
Psal. 83. c & gloriæ donator & largitor sit, Christũ quod
Iaco 1. fons de cui⁹ plenitudine nos omnes accepim⁹,
Ioann. 1. & adoras & colis. Regẽ plus cæteris, itémque principem,vt & episcopum,& apostolum hoc ipso vereris,quod regendi imperãdi,aut in cleris dominandi,aut verbi Dei prædicandi à Deo illis vberior cæteris gratia collata sit. Quod ergo fertiliorem in aliquo gratiam agnoscis,tanto te illi & submittis & eum honoras. Idem de gloria concludi potest.Vbi verò hęc duo simul in aliquo reperiũtur, eo sanè honorabilior est, quàm si eorum altero tantum fulciretur:cũ gra

Collectio gratiæ & gloriæ in vno illud nobilius reddit.

tia sola viatorem, gloria verò & gratia cõprehensorem deceat. Vnde quanto comprehensor viatore tanto duo hæc coniuncta, simplici gratia nobiliora & honorabiliora sunt. Sanctos ergo cõsequitur viatoribus honorabiliores esse: cum & gratia & gloria resplendeant. Nunc de viatoribus disseramus, vt ab his quod volumus de comprehensoribus cõcludamus. Tu regem honoras, tu episcopum, tu doctorẽ, tu verbi Dei ministrũ, hoc vt diximus ex verbi Dei præcepto, etiamsi adhuc mortales sint: nõ quia mortales sunt, nõ omnino quia creaturę, æqualis enim omnibus honor deberetur: sed quia hanc eis Deus gratiã contulit, vt vnus esset rex, alius episcopus, alius doctor, alius verbi Dei minister: Quod si honorabilius est quod gratia & gloria præclarius, vtroq; verò illustriores sunt sancti, (nam & beati sunt, & est beatitudo omnium bonorum perfectio & conciliatio) necessariò consequitur sanctos qui in cœlo sunt Parentibus, regibus Episcopis, imperatoribus & cæteris mortalibus honorabiliores. Et tu quidem corã rege caput aperis, in genua procumbis, pedes eius, parum abest, vt nõ amplectaris. Hoc laudo, hoc approbo. Norint illi se homines esse, se deo subiici, se mortales. Hanc sanè ob rem honor alicui denegari posset etiam debitus, quod eo abuteretur in superbiam. Porrò non abutuntur, non eleuantur, non inflantur sancti, quãuis veneratione eorum laudes à nobis celebrentur: sed tanto magis se Agno sub-

1. Pet. 2.c
Luce 10.
Matt. 23.

Beatitudinis definitio satis probat sanctos in cœlo omnib' viatoribus esse perfectiores.

A minori ad maius argumentatio.
1 Reg. 2 f
Daniel. 3.
Collatio regis terreni

cum sanctis. mittunt, dicentes: Dignus es domine accipere
Apoc. 4. 4 gloriam, & honorem, & benedictionem, quia
1. Pet. 2. b fecisti nos deo nostro regnum & sacerdotes.
Quid ergo murmuras si Catholici fideles Deũ
in sanctis laudant, si eorum memoria, laudibus,
Psal. 67. g & veneratione delectantur?
Psal. 150 a *Rex homo est, & illi homines,*
Sed rex mortalis est, illi vita fruũtur immortali.
Quod si obtrudas mortalem hunc regem esse:
dico & sanctos omnes regnũ esse, immo & reges. Hoc scilicet & ipsę scripturæ testantur. Regnũ sunt Deo, superius sanè & fulgidius, & tutius terreno quouis, cum nec in eos Procellæ hæreseon, turbines pseudoprophetarum, machinæ seditionum, tela schismatum, violẽtia sicariorum, latrocinia sacrilegorũ prężualere possint. Hodie rex est, & cras morietur: At sanctorum animę in manu Dei sunt, & nõ tanget eos
Eccle. 10 b tormentum mortis: cum Deo quoque regna-
Sap. 3. bunt inæternum. Cum igitur honor mortalem hominem deceat, quanto magis mortalitate & beatitudine fulgentem? Adde quod, vt docet
Roma. 3. D. Paulus, gloria, honor & pax omni operanti bonum: sancti verò quod & fidem inuiolatam Deo conseruarint, opera salutis ediderint, gloria cœlesti donantur. Opera quippe sequuntur defunctos in remunerationem.

In Gentiles Hagiomachos sanctos nec Idola esse, nec fieri: & cur sanctis honor debeatur.

Cap. 4.

MAgnum sanè se dixisse arbitrabatur quis, in quem aliquando hanc quæstionem agitaui, si quod Gentiles in Christianos olim, idem in nostram commentaretur Ecclesiã. *Vos plures*, inquiebat, *deos facitis, dum tot sanctos veneramini.* Hoc ipsum musculus in locis suis communibus, & Bulingerus libro de errorum origine improperat. Protinus ego Hilari animo, etsi periculum mihi instare videretur: plures, inquam, deos non facimus, sed Deus: prout tuus etiã Caluinus institutionis suæ c.3. numero 57. apertissimè fatetur his verbis. *Quibus Deus attribuit eminentiam* (inquit) *suum cum illis nomen communicat. In vnum ipsum ita conueniunt Dei, Patris, ac domini tituli, vt in ipsius maiestatem feramur.* Deus igitur vt suos deorũ schemate donat, ita & Deos facit: si modo deorum nomen ad eum restringas sensum, quo à Deo sumitur per Dauidẽ dicente, Ego dixi dij estis: hos quippe deos vocauit, ait Christus, ad quos sermo Dei factus est: Immo & Moyses Deus Pharaonis constitutus est. At nec tales eos fecerant homines, nec eis huius gradus gratiã contulerant, sed Deus. Constitui enim te, inquit, Moysi, Deum Pharaonis. Proinde quod Deus sanctos suos deos fecerit admitto, quod nos eos tales faciamus nego. Tum ille, Per deos, inquit, idola intelligo. Et hoc est, inquam, quod mihi cõcludere videbare. Proinde ꝓclusi verba tua, ne tu ex cõcessis ratiocinareris. Fiunt enim ab hominibus dij, qui tales non sunt apud Deũ,

Disputatio habita cum Hagiomacho ministro

Theodoretus ser. de Martyribus.

August. li. 21. contra Faustum cap. 21.

Plures deos non facimus

Caluinus.

Psal. 81.

Exo. 7.

Deorum nomen & fieri variè sumi possunt.

Quid sit Idolum. immo nullomodo sunt. Talia erãt idola Gétiũ,
1. Cor. 8. & Dæmoniacæ industriæ numina. De quibus
Psal. 113. cum Paulus disputat, Idolum, inquit, nihil est.
Psal. 124. Quomodo nihil, cum Dauid dicat Deos Gentium esse argentum & aurum, quæ sanè aliquid sunt? Nihil ergo sunt, eorum scilicet quæ persuadentur. Faciũt quippe eos homines & deos, & cœlicolas, & protectores: cum nihil eorum illis cõueniat. Nos verò quod de sanctis & præ

Sancti non sunt Idola. dicamus & credimus, id sanè ideo & credimus & prędicamus, quod primum tale sit apud deũ: vt idem etiam celebre sit apud homines. Vides ergo cur dixerim fieri eos deos à Deo, non ab hominib⁹? Si enim ab hominibus, & nõ à Deo: Idola esse concludi posset. At quoniã cum sint Dei filij, etiam & dij à Deo facti sint, vide quã præceps pernicem tuam sententiam sequatur blasphemia, hac ex te sumpta ratiocinatione.

Deus Idolũ non fecit, nõ ergo sancti Idola sunt.

Omnes dij facti Idola sunt:
Deus omnes sanctos deos fecit,
Ergo Deus Idola fecit.

Hic te hærere oportet, & distinguere dictiones & fieri, & deorum, eo sanè quo dixi modo: & vel inuitum mihi hac in parte obsequi, nisi Deum Idola fecisse blasphemare velis. Tum ille: & vos, inquit, Sebastiano & Rocho vim curandæ epydimiæ, Mathurino dęmonũ eiiciendorum potestatem ascribitis. Et hoc, inquam, Deo largiente. *Non omnia semper,*
Astra, sed alternis nunc hoc, nunc imperat illud.

Vnde varia virtus curationum in sanctis.

Mantuanus lib. 2. de calamit. temp.

Ecce

Ecce, vt docet D. Paulus, variæ donationes gratiarum sunt, est gratia curationum, genus multiplex linguarum, donum interpretationum. Non enim omnia membra eundem actum habent. Sic & sanctis in cœlo multæ mansiones concreditæ sunt. Quid miraris si pro liberalitate sua Deus varia illis curationum priuilegia indulsit? Hoc sanè omnes libri Ecclesiastici cũ de martyrum sepulcris disputant, aperte confirmant. Tum ille ad dæuia me deducere, & cur sanctum Petrũ veneremur sciscitari, num quia Papa fuit? Nomẽ quippe Papatus apud eos fœtet. Porrò vbi eum dicteriis mecum agere deprehendi: nõ, inquam, omnino quia Papa fuit, fuit enim: sed quia adeo sancte vixit, & oneri Ecclesiastico satisfecit dum hic viueret, vt nũc illi gloria cœlestis rependatur. Quã scilicet astute interrogas, inquam ridens, vt si ego concessero pro ratione dignitatis Papalis eum venerari, multa inferas absurda. Nam si quia Papa, (inquies) Petrus venerandus est: ergo cum nũc Petrus in cœlo non sit Papa, honorandus non est. Rursus, Si nũc honoratur quia Papa: secum igitur abstulit Papæ authoritatem, nec suo successori Clementi reliquit. Tum enim tacebis præteriti temporis verbũ fuit, vt pro eo quod Petrus fuit Papa, dicas quod idem nunc Papa sit. Rursus inferes quod quicunque aut est, aut fuit Papa eodem dignus sit honore post mortem quo Petrus. Sed addo dignitatem viatori concreditam ipsum apud Deum iustiorem nõ

1. Cor. 12. d
Ephes. 4. c

Insidiæ & tendiculæ Hagiomachi.

reddere, nisi rectè & pie eandẽ exerceat: quod quia Petrus impleuit, cœlesti laurea donatus est, & proinde eum omnis Ecclesia veneratur.

De intercessionibus sanctorum, quod mors eos à fundendis orationibus non cohibuerit sed promouerit.
Cap. 5.

TVm ille, vt & cæteris huius farinæ tritissimum est, vbi venerationem sanctorũ infringere se posse diffidit, sanctorum intercessionem impugnare cœpit. Mortui, inquit, sunt sancti, non igitur orãt. Et hæc tua inquam ratio sumpta est à vigilãtio, aut Epicureo, seu Atheo aliquo, vt ex consequentibus docebo. Hoc sanè munimen est Beszæ, & Caluino, vt ipse ex eorum libris animaduerti. Vide verò num quod hoc tuũ enthymema inferat. Quæro, vtrúmne corpore an spiritu oremus. Testatur sanè Paulus orandum spiritu, orandum & mente: est enim oratio mentis & animæ actio, vt ex definitione colligitur. Iam igitur sic ratiocinaris: *mortui sunt sancti, ergo non orant.*

Hagiomachorum argutiæ.

1. Cor. 14. c

Orationis definitio.

Si rectè concluditur, hoc ipso profecto non orant sancti, quod illud quo oratur mortuum est in eis. Si id est, cum spiritu vt diximus oretur, spiritus & anima sanctorum mortua est. Vide Christiane lector quibus se lacunis inuoluant, qui ea ratione gloriantur: mortui sunt san

Quæ sequantur blasphemiæ Hagiomachorum ratiocinationem.

cti, ergo non orant. Ex hoc enim enthymemate etiam animæ corruptio asseritur. Quid hoc? Et omnes tamen hoc ariete se muniunt, omnes eandem in nos conclusionem moliuntur. Astutus verò sathan ex Scylla in mille Caribdes eos abducere nititur. Hoc non videt Besza? Non animaduertit execrandam de corruptione animę opinionem fouere? Verùm adesdum Hagiomache, eodem te medio conuincã, quo in nos ratiocinabareris, tuoque te gladio iugulabo. Siquidẽ vt probares sanctos non orare hoc tibi medium erat, mortui sunt: Ego verò eodẽ econtrariò sumpto sic concludam.

Hagiomachi corruptionem animæ asserunt.

Si nullus mortuus orat, hoc igitur quia oratio viuentis est actio:

Sed sancti imperpetuum viuunt, est enim Deus non mortuorum sed viuentium:

Non sunt igitur de numero non orantium mortuorum.

Idem mediũ in Hagiomachos pugnat quod pro se assumpserant.

Adde quod *Oratio est mentis in Deum eleuatio:*

Sed mens à corpore separata, quæ gloria fruitur, in Deum eleuatior est:

Est igitur ad orationes fundendas dispositior.

Quod verò illi pro nobis intercedant, qui Deo fruuntur, & ex mutua membrorum ad inuicem affectione, & authoritate noui & veteris instrumenti, sanctorum denique patrum monumentis in subsequentibus confirmabimus. Ex opposito sanè eorum qui sanctorũ intercessionem inficiantur, stetit aliquando Guilelmus hęreticus cognomẽto Albus, de quo plura apud Tho

1. Cor. 12.

Guillelmus albus Hereticus li. de

orandis sanctis. mam Vvalden Carmelitam: Beatos enim semper pro nobis apud Deum intercedere dicebat, proinde nec instigandos qui instent operi; quasi non & orandus Deus sit, vt nobis beneficia sua conferat, quod iis quotidie ab eo releuemur. Vbi igitur mentis in Deum eleuatio, si oratio tollitur?

Thomas V-Valden. lil. sacramẽtal. tit. 12. c. 112.

Inuocandos esse sanctos, nec tamen summæ dei inuocationi derogari: quod inuocatio quædam minor sit in patrocinium.
Cap. 6.

PORrò omnium Hagiomachorum studia in sanctorum, inuocationem dirigũtur. Quorum rationes quã insidiosæ sunt videamus.

Melanthõ. Melanthõ pro omnibus dimicat in libro quod corpus Ecclesiæ inscripsit. *Inuocatio*, inquit, *tribuit inuocato omnipotentiam*. Nos inuocationẽ, vt & adorationẽ distinguimus. Nam sicut Adoratio minor, subalterna, & quæ duliæ dicitur, etiam creaturis exhibetur, quomodo fratrem Iacob septies adorauit, Loth Angelos, Abrahã etiam Idololatras filios Seth, Iosephũ illius fratres, Iosue Angelum, Dauidẽ Ionathas, filij Prophetarum Heliseũ: nec tamen hi creaturis omnipotentiam tribuerunt, nos quoque quia sanctos inuocamus, non idcirco omnipotẽtes esse arbitramur. Inuocatio enim hæc in suffragium est, nõ in summũ auxilium, quod solum Deum cunctipotentem decet, à quo omne bonũ per-

Non omnis inuocatio dat inuocato omnipotẽtiam.
Gene. 33. 19. & 23.
Genes. 44. & 45.
Iosu. 5.
1. Reg. 20. & 25.
Adoratio & Inuocatio multiplex.

fectum emanat. Duplex quippe ex sacris scripturis colligitur inuocatio: vna summa: & suprema est, qua protestamur largitorem primũ esse omnium eum quem in auxiliũ euocamus: altera minor est, depẽdens, & ei subalterna, qua quid sic nobis fauere postulamus, vt interim Deum illi præesse, à quo & dependeat, id quod petimus protestemur. Inuocationis huius minoris (vt quouis modo explicem eam quę summa nõ est) meminit & Iacob moriturus, & tandem Moses. Nam cum hæc rursus distribuatur in eam quæ est suffragij, quæ testimonij, & quę auxilij: Iacob eam quæ suffragij est confirmauit. Postquam enim filiis Ioseph benedixit, inuocetur, inquit, nomen meum & nomina patrum meorum super eos. Moses verò eam quæ testimonij est, intelligit, cum ait coram omni Israele, Testes hodie inuoco cœlum & terram. & cęt. Neque tamen aut Iacob imponenda est, aut Moysi blasphemia: vtpote non arbitrãdum aut hunc suo nomini, aut illũ cœlo & terræ omnipotentiam adscripsisse. Relinquitur ergo sole clarius non id omne quod inuocatur, inuocato omnipotẽtiam deputare, vt somniat Melanthon.

Inuocatio summa. *Inuocatio minor* *Alia in auxilium, alia in testimonium, alia in Patrociniũ.* *Genes. 48.* *Deut. 30.*

Quod vnus mediator Christus, nihil obest sanctorum suffragiis, & quod multiplex est mediatoris significatio.

Cap. 7.

VIdeo demum quid adferant: solum esse nobis mediatorem Christum, nec inde sanctos pro nobis suffragari posse contendunt. Quod Christus mediator sit, quod vnus, quod solus & fatemur & prædicamus: quod proinde sancti pro nobis non patrocinētur inficiamur. Et tanto sanè audacius inficiamur, quanto plura sequi absurda videmus. Si enim sic Christus mediator est, vt nullus, quoquo modo alius intercedat, pro nobis inuicē quid sollicitamur? quid affligimur? quid iuxta verbū Domini oramus? quid nobis inuicem patroni sumus? *Si aliquem qui pro nobis intercedat interpellare, id est mediatori Christo derogare, Deus igitur quod Elipham & Heliu ad Iob, qui pro eis oraret, misit, mediatori derogauit?* Et Paulus ipse qui pro se toties orationes à fidelibus fundi postulauit mediatorem extinxit. Demū si solus ille sic mediator est vt solus oret, solus precetur, cur idem ipse orare suos docuit? cur oratione dæmonia eiicienda pollicitus est? Sed dicent, hoc vocari mediatorem quod pro aliis solus precetur. Dic verò Hagiomache num etiā pro aliis Deo supplicare instituit? Immo orate, inquit pro calumniantibus & persequentibus vos. Orauit Chananæa pro filia, Centurio pro seruulo, Regulus pro filio, Maria & Martha pro fratre, reppulítne eos Christus? an non exaudiuit? sibíne derogare asseruit? an eorū intercessioni inuidit? Cur non tunc etiam dicere potuisset, mediator sum Dei & hominum, Aduocatus sum, non licet vo-

1. Thim. 2. — *Pro aliis orare possum & debemus, absque vllo in Christi mediationē præiudicio.* — *Iob vlt.* — *Roma. 15.* — *2. Thes. 3.* — *Mat. 5. 6. 24.* — *Luce 6.* — *Matt. 15.* — *Matt. 8.* — *Ioan. 4.* — *Ioan. 11.*

bis pro inuicẽ intercedere: cur inquã non hæc aperuiſſet & exclamaſſet, ſi mediatoris munus patrocinia aliorũ pro inuicẽ extingueret? Sed applauſit Chananææ, applauſit Cẽturioni, tantũ abeſt vt extruſerit. Quæ ergo vos Hagiomachi dæmentia cæpit? Quis in Dei ſanctos furor vt eorum exploderetis ſuffragia: cum viuis liceat pro ſe inuicem patrocinari? Nec tamen quod pro aliis oramus mediatori derogamus: vt qui non in ſummo interceſsionis gradu, quo Chriſtus Deo, ſupplicemus. Age ſcilicet Hagiomache quid Chriſti mediatio, ſanctorũ qui in cœlo ſunt ſuffragia explodet, ne tantillũ vero noſtris pro inuicem patrociniis aduerſabitur? Nũ noſter ille vt & ſanctorum: & ſanctorum, vt & noſter mediator eſt? Num vnum vtriuſque militantis, & triumphantis eccleſiæ caput eſt? Vnus reparator, fundamentum, Petra, oſtium, Vitis, lux, via, veritas, & vita? Fatebere ſane nobiſcum vnum illum dei & hominum mediatorem, prout nos docet Paulus: homines autem non viatores tantum, ſed & comprehenſores ipſam illius mediationem agnoſcere. At vero quanuis ille noſter mediator ſit, tanto abeſt vt pro inuicem orare non poſsimus, vt Chriſtus ipſe ſuo nos exemplo prouocarit ad mutua pro inuicem ſuffragia. Exemplum enim dedi vobis, (inquit Diſcipulis & nobis) vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis: & diligatis inuicem, ſicut ego dilexi vos. Porro dilectionis illius inſignia ſunt & Paſsiones quas pro nobis volun-

Expoſtulatio.

Chriſtus noſter & ſanctorum eſt mediator.

Diligere debemus alter vtrum sicut Christus nos dilexit.
Dilectionis Christi insignia sũt Passio & oratio.
Apoc. 14.

tariè pertulit, & oratio illa magna voce ab eo pro Iudæis inimicis ad patrem fusa, quam Prothomartyr Stephanus spiritum deo redditurus æmulatus est. Quis ergo Mediationẽ Christi, nostris pro inuicẽ patrociniis obstare contendet? Sancti quoque qui ex hac vita migrarunt sequuntur agnum quocunque ierit, quod nòn sensibilibus corporis, sed animæ vestigiis intelligendum est. Orat Christus, orant & illi per Christum. Compatitur nobis Christus, cõpatiuntur & illi: diligit Christus nos, diligunt & illi. Proinde vt mediatio Christi illorum in nos dilectionem nõ extinguit, ita neque orationes prohibet.

Dilemma Hagiomachum constringens.
Vnde emergit quod sancti non orẽt pro nobis si non orant.

Vnum illud dilemma te attendere expostulo Hagiomache, eique quam in partem te flectere volueris, satisfacere.

Si sancti in cœlo pro viatoribus intercedere non possunt, id sane hinc emergit: aut quod patrocinandi munus sit eorum beatitudine sublimius: aut quod adeo e vile sit & humile, vt eorum felicitati officiat. Vtrumuis dixeris, tuo te ore condemnabo. Siue enim eo sanctos intercedere non posse asseras, quod intercessionis munus eorum felicitate nobilius sit, forsan apud te Christi mediationem per-

Aperta cõclusio.

pendis: nec interim vides quod absurdum consequatur. Nam si pro alio intercedere quid est beatorum felicitate præclarius, cum pro inuicem ij qui nondum decesserunt, & apicem omnium bonorum gloriã assecuti sunt orare possint, & debeant: eos illustriores, & feliciores

multo sanctis esse, qui iam facie ad faciem Deo fruuntur, consequitur. An non aperta hęc contradictio est? Quod si viatores etiam si pro inuicem patrocinentur, comprehensores felicitate non superant, nec quoque sanctorum gloria sublimius censebitur intercedendi munus. Alteram iam dilēmatis partem prosequamur. Dicet Hagiomachus sanctos ideo pro nobis non orare, quod id quid abiectius sit, quā quod illorum gloriam deceat. At vero protinus in eos à minori ad maius exurget ratiocinatio

Cōtradictio in Hagiomacho.

Altera pars dilemmatis.

Sancti Christo minores sunt:

Si quid ergo derogat sanctorum felicitati, vt quid abiectius: multo amplius Christi gloriæ derogabit.

Sed, vt volunt Hagiomachi, intercedere pro viuis sanctorum gloriæ derogat, multo magis igitur Christi. Proinde huc delabetur Hagiomachus, vt quod adeo constanter asserebat, Christum esse aduocatum, intercessorem & Patronum idem aperte inficietur. Quod si cum Ecclesia sentit aduocati officium Christi gloriæ nihil officere: idem igitur penes sanctos concludat. Absit enim vt dicamus aut Christum non esse aduocatum nostrum apud patrem, aut non orandum vt hominem, sed nec sanctos omnes quia creaturæ sunt interpellendos in suffragium: solus quasi deus oratione placandus & accersendus sit vt omnis creatura explodatur, anno idem 1422. Guillelmus sartor Vvitcleph nidulo ausus est euomere. Ego verò (vt meliꝰ ait

Constringitur Hagiomachus.

In hæresim Guillelmi sartoris & Vvitcleph.

Cyprianus) in tuo nomine peto ô Christe, vt à patre postules, vt detur mihi, &c. Interpellamus & fideles, & sanctos, vt pro afflictis orent. Quomodo igitur dixerit Hagiomachus, Christus mediator nuncupatur? Nos hic mediatoris nomen distinguimus, nec abs re: legimus enim quod Moses medium se dixerit inter populum & deum. Porro multum interest, sitne Moses mediator, an Christus. Protinus vtpote erumpet aliquis, nec mediatorem Mosen esse nec quemuis aliũ, quod Christus vnus mediator sit. Adducta demum authoritate scripturæ, aut mediatoris nomen distinguendum est, aut ipsa de mendacio conuincenda. Quis vero dixerit scripturam mentitam: cum sit diuinitus inspirata, vt docet Apostolus? Necesse igitur est mediatoris nomen & significationem secernere, qua Christum, & qua Mosen significemus. Est enim mediator per intercesionem, & est mediator per redemptionem. Moses mediator inter populum & deum extitit, non quod eos redemerit, sed pro ipsis apud Deum patrocinatus sit. Vt cum Dominus Israëlem ob Idololatriam omnino disperdere vellet, fusa à Mose oratione placatus est. Rursus ille quadraginta diebus & noctibus ieiunans, continuas pro populo orationes obtulit. Et cum pro murmure à serpentibus percusi omnes spiritum exhalarent, suffragia Mosis dei miserationem euocarunt. Fuit igitur Moses intercessor non redemptor: Proinde mediator quidem per inter-

Exo.17.32.33.

Mediator varie sumitur.

Mediator Moses. Deuter.5.

Mediator per naturam & per redemptionem solus Christ⁹: Per intercessionem ille summus est, multi dependentes.

cesſionem, non per redemptionem. At verò Christo Dei filio ſoli mediatio per redemptionẽ debebatur: hic enim eſt qui nos redemit de manu inimici, per cuius ſanguinẽ abluti, & qui prius Deo aduerſarij eramus, reconciliati ſumus. Qui nõ corruptibilibus auro vel argento, ſed pretioſo ſuo ſanguine nos redemit: vt qui gratis ſub peccato venundati eramus gratis redimeremur. De hoc noſtro redemptore Chriſto precinuerat Dauid, dicens: Ipſe redimet Iſrael ex omnibus iniquitatibus eius. Solus ille redemptor, qui ait, Torcular calcaui ſolus: ſolus reparator, ſolus ſaluator, eóque modo ſolus & vnus mediator. eo igitur ſenſu probe vnum mediatorem eſſe cenſet Paulus: cũ alio ſint plures. Nam vt Moſes mediator eſt per interceſſionem, ſic Aaron qui medius ſtetit inter mortuos & viuentes, thus Deo offerens: ſic Daniel pro peccatis populi ſupplicans: & omnis iuſtus apud Deum pro peccatoribus Deum exorans. Dicitur Chriſtus mediator per naturam, & per meritũ. Per meritũ quidẽ vt diximus, cùm ſuo nos merito redemerit, per naturam verò quod Deus & homo ſit: naturã in vna perſona vtrãque indiſſolubiliter connectens: vt Dei in Eccleſiam ſuam inſolubilis charitas, & adoptio filiorum Dei, noſtrarúmque animarum Deo deſpõſatio ſignificaretur. Neutro ſanè modo, redemptionis ſcilicet & naturæ poteſt alius præter vnum Chriſtum mediator nuncupari: qui etſi etiam pro nobis in cęlis patrocinetur, ſum-

Moſes interceſſor fuit nõ redemptor.
Apoc. 1.
Roma. 5.
1. Pet. 10.
1. Ioann. 1.
Apo. 5.
Pſal. 129.
Eſa. 63.
Nume. 16.
Daniel. 9.
Mediator per naturã, & meritum.
Quid ſumma & quid dependens interceſſio.

mo tamẽ per suum ipsius supremum meritum,
Orauit sancti per Christum. non autem dependente intercedit suffragio, vt
sancti omnes: qui siue nobiscum vitam degăt,
siue iam cœlo fruantur, per Christum Dominũ
nostrum, per ipsius meritũ, per ipsius crucem
deprecantur. Resultant enim quæcunque eorũ
sunt merita, in Christum vt fontem & scaturi-
Ephes. 2. ginem: quoniam cum Paulo dicere possunt, vi-
Hebr. 9. uit in nobis Christus. Adeo vt à Christo depen
deat illorum ad Patrem accessus, vnde depen-
dentem eorum intercesionem vocemus: Chri
Heb. 7. sti autem summam, quum & per hostiam suam
apparuerit, & per proprium sanguinem introi-
uerit semel in sancta æterna redemptione in-
uẽta. Vnde & saluare imperpetuum potest ac-
cedentes per ipsum ad Deum, semper viuẽs ad
interpellandum pro nobis. Et ne tu quam supra
discretionẽ mediationis inter Mosen & Chri-
stum assignatam sine scripturæ authoritate pu-
tes audiamus Paulum. Hic Mosem vt seruũ fi-
delem sub vetere testamento, Christum vt fi-
Paul⁹ Christum mediatorem per redemptionem intelligendũ docet. lium in nouo considerat. Quanto igitur no-
uum testamẽtum, vetus superat: tanto quoque
mediatio Christi mediatione Mosis est eminẽ-
tior. Multi quippe eo quo Moses modo me-
diatores esse potuerunt, quod verò Christus
mediator est noui testamenti, solus est & vnus.
Nam mediator noui testamenti vt per redem-
Hebr. 9. ptionẽ dicatur testatur Paulus. Et Deo (inquit)
noui testamenti mediator est vt morte interce
dente in redemptionem earum præuaricatio-

num, quæ erant ſub priori teſtamento, repromiſsionem accipiāt qui vocati ſunt æternę hæreditatis. Audis ex ipſo D. Pauli cōtextu Chriſtum mediatorem dici per redemptionem? & ſuiipſius interpretem eſſe qui dixerit Chriſtū vnum eſſe Dei & hominum mediatorem quaſi eum vnum eſſe redemptorem ſignificarit? Et hoc nos axioma amplectimur, hoc annunciamus, pro eo depugnamus: interim tamen tanto abeſt vt Chriſti mediatio orationes, & interceſsiones & noſtras & ſanctorum perimat, & euertat: quinimmo tanto magis eas aſtruit & confirmat, quanto meliorem per ipſum habemus acceſſum apud Deum, & per ipſum ſupplicantes exaudiri poſſumus.

Quod ſancti in cœlo orationes quæ fiunt à viatoribus audiunt, & quomodo id aſſequantur. Cap. 8.

CONtendunt etiā omnes Hagiomachi ſanctos orationes noſtras nō intelligere proinde fruſtra inuocari. *Si enim eas noſſent* inquiunt, *Deo æquarentur: qui ſolus ſcrutatur renes & corda.* Nos verò id elici poſſe negamus. Quis enim inficiabitur Deum hominibus ſecretorū & abſtruſorum cognitionem indulſiſſe? An nō olim Prophetæ videntes ideo dicebātur, quod non pręſentia tantum, ſed & futura: nō quæ ante pedes ſunt modo, ſed & q̄ abſentia intelligerent? Venit enim Saul ad Samuelē, vt ab eo re-

Non ex eo quod ſolus deus nouit abſcondita conſequitur ſanctos vota noſtra ignorare.

Prophetæ dicti ſunt videntes. 1. Reg. 4.

sciret vbi nā Patris asinę essent:ille autem de asinis,inquit, ne sollicitus sis quia inuentæ sunt. *Samuel* Vnde id nouerat Samuel? Scilicet Deus hanc illi cognitionem indulgebat. Cedo aliud. *Helisæus. 4.Reg.5.g* Occulte Giezi ad Naamā qui ab Heliseo nuper curatus à lepra fuerat perrexit: & duo talenta argenti, vestesque mutatorias accepit. Hæcque quam potuit secrete abscondit. Porro ad eum Helisæus. Vnde venis Giezi? Tū ille negare cœpit se quoquam iuisse. At nonne cor meum in pręsenti erat, inquit Helisæus, quando reuersus est homo de curru suo in occursum tui? Absens igitur corpore,pręsens erat mēte. Addam *4.Reg.6.b c* aliud. Rex Syrię pugnabat contra Israel,consiliumque cum seruis suis inierat,se in illo & illo loco positurū insidias. Misit itaque vir Dei ad regem Israel dicens:Caue ne transeas in locum *Homo mortalis nouit cordis abstrusa.* illum quia ibi Syri in insidiis sunt. Hoc Prophetæ consilium & regis Syriæ molitiones euertit: & regem Israel tutiorem fecit. Rex verò Syriæ traditorē sibi aliquē à secretis esse autumans,in suos excandescebat,cū vnus ex seruis eius,Nequaquam domine mi rex, inquit, sed Helisæus Propheta qui est in Israel, indicat regi Israel omnia quæcunq; locutus fueris in conclaui tuo. Audis abstrusa mortalem hominem agnouisse etiam absentem: absit tamen vt proinde Deo æquaretur. Recenset & regum Historia de eo- *Ibidem.g* dem Helisæo aliud. Rex Israel,quod videret se suósque ciues à Syriis obsessos in Samaria fame deperire hæc dixerat. Hæc faciat mihi Deus &

hæc addat, si steterit caput Helisæi filij Saphat super ipsum hodie. Tum Helisæus in domo sua asſidentibus sibi senibus quid rex in se moliretur, cognouit. Nunquid scitis, ait ad senes, quod miserit filius homicidæ huc, vt præcidatur caput meum? Videte ergo cum venerit nuncius: claudite hostium, & non sinatis eum introire: ecce enim sonitus pedum domini eius post eũ est. Adhuc illo loquente eis apparuit nuncius, qui veniebat ad eum. Aperte sanè liquet concreditam prophetis fuisse etiam secretorũ cordis reuelationem: Immo quod nec in cor hominis ascẽderat, Deo soli & quibus indulserat cognitum, Deo reuelante resciuisse: Christi nimirum aduentum, cõceptionem, natiuitatem, miracula, pasſionem, resurrectionem, ascensionem, spiritus S. in Apostolos infusionẽ, regnorum mutationes, futurum de omnibus iudiciũ, remunerationem. Immo quid graue est, quod illis etiam manifestum non fuerit quatuor annorum millibus antequam fierent? Nec tamen hinc concludendum est eos æqualitatẽ & omnipotẽtiam cum Deo assequutos. Vides igitur vt absurda sit hæc oratio: sancti nõ norunt absentia, alioquin Deo æquarentur.

Ex eo quod Prophetæ nouerunt abscondita non sequitur eos omnipotẽtes fuisse.

Nouerat magnus ille Antonius Eremita, nouerat & Eulogius abscondita cordis, Deo scilicet indulgente, ergo Deo æquabantur? Impia plane hæc consecutio est. Hac enim aut Prophetiæ & reuelationes euacuantur, & mendacij arguuntur: aut Prophetæ Deo æquantur.

Hist. trip. lib. 1 c. 11.

Niceph. l. Eccl. hist. 11. cap. 34.

Blaſphemia ſequitur Hagiomachi axioma. Videat lector Chriſtianus quantę illę ſint blaſphemiæ.

Probemus verò ſanctos reſcire poſſe etiam *Quod ſancti reſciunt abſentia etiam cordis ſecreta.* abſentia, & cordis ſecreta Domino reuelante. *Aequantur ſancti in cœlo angelis Dei: at verò Angelis cognitio abſtruſorum cordis indulgetur, norunt enim pœnitentiam peccatoris: igitur & idem ſanctis confertur.* Hoc in ſequentibus declarabimus. *1. Ratiocinatio ab Angelorū gaudio. Lucæ 15.* Rurſus *comprehenſor cognitione fœcundior eſt viatore: anima enim quanto à materia ſemotior, & Deo propinquior eſt, tanto quoque peritior redditur, vt Proclus in Platonis Alcibiadem, & Iamblicus lib. de myſteriis Aegyptiorum & Aſſyriorum aſſeuerant: Porro ſanctos comprehenſores eſſe nemo dubitat, ſunt igitur ſcientia vberiores omnibus etiā viatoribus.* *2. ratio ab animæ perfectione. Proclus Iamblicus. 3. à priuilegio gratiæ.* Ex ſuperioribus patuit viatoribus Prophetis omnem ſecretorum cognitionē indultam, cur non igitur & ſanctis in cœlo? Verum replicat Hagiomachus, hoc priuilegio gratiæ collatum Heliſæo, & Samueli, & cęteris. Sit ita, vbi igitur maius erit priuilegium gratiæ & gloriæ, ibi maior quoque cognitio. Sed vtrunque in ſanctis relucet, vt diximus: fateantur igitur neceſſe eſt illos abſconſa, & retruſa pectoris agnoſcere poſſe. Diſputationem quoque hanc vnico hoc concludam ſyllogiſmo.

4. à definitione beatitudinis. *Beatitudo finis eſt eorum, quæ ſecundum permanentem regulā appetuntur. Porro omnes qui charitate ducuntur, ſuorum neceſſitates noſſe appetunt.*

Ergo cum charitas, non tranſeat, ſed tanto in ſanctis perfectior ſit, quanto illi gloria ſunt fulgidiores

diores

diores: & suorum appetet necessitates agnoscere, & cum beatitudine donentur, eas intelliget. Quod ergo, dicet Hagiomachus, inter Dei & sanctorũ cognitionem, discrimen facis? Respondet vtique catholicus idẽ assignari, quod inter Dei & Prophetarum scientiam. Deus à se locutus est, at spiritu sancto repleti locuti sunt sancti Dei homines. Cognitio igitur sanctorum à deo est, à verbo, ab indulto: cognitio verò Dei à semet ipso. Deus ex se, & sua ipsius vi, nouit abscondita cordis & retrusa omnia: norunt sancti deo & reuelante, & permittente. Sed nos satis in Hagiomachos præfati sumus: si me audire renuunt, saltem quid vetus, nouũque testamentum, quid primitiuę Ecclesię Patres de hac quęstione sentiant, attendant: vt non nos ipsi tantum, sed & omnis ab omni tempore Dei electa Ecclesia Catholica depugnare videatur.

2. Cor. 12.

Quomodo Dei & sanctarum cognitio differant.

Delabitur author ad testes fidelissimos.

C

Claßis secunda complectitur

TESTIMONIA EX VETERE TESTAMENTO.

Dominus Deus die ipsa qua praeceptum infregit Adamus, serpentem immo potius Diabolum vt suggestorem primi hominis peccati, maledictioni subiiciens: Christi mediationem, & Victoriam, necnon Diuae Virginis Mariae merita & patrocinia aperte extulit, dicens:

Genes. 3. c

QVia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia & bestias terrae. Inimicitias ponam inter te & mulierem: & inter semen tuum, & semen illius. Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.

Scholium.

Cur S. Maria mulier dicitur.

Per mulierem virgo Maria mater domini nostri Ihesu intelligitur: illa enim sexu, & aetate mulier fuit, Semen illius Christus est. Vide verò quam pure haec dicta sint, vt matris Christi in pariẽdo Virginitas significaretur. Nec enim proprie filij semen mulieris, sed viri dicuntur: eo quod praecipuum generationis principium

immo & perfectius à viro pendeat. At quia nõ virili semine, sed mystico spiramine è puro suo sanguine Diua virgo Christum & concepit & peperit: ideo filius eius Christus vere semen mulieris dicitur. Vt ergo Christus semen Virginis in Diaboli cuneos & exercitus inimicitias exercuit, ita d. Virgo Christum pariendo Sathanæ caput & potentiam contriuit. Immo & nunc hoc oraculum perseuerat: fit enim Dea ta Virgo Euę aduocata, vt ait Ireneus, & suis apud deum precibus insidiatoris Sathanæ machinas à nobis repellit. *Quid semen mul. eru.* *Ire. lib. 3. in Hæres. c. 23 & li. 4. c. 33. & l. 5.*

Dominus Deus Cayna post patratum fratricidiũ allocutus, fratrem etiam vita functum & clamare & audiri confirmat his verbis. *Genes. 4.*

Quid fecisti? Ecce vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra.

Scholium.

Procopius Gazeus author Græcus hinc iustorũ qui ex hac vita migrarunt, preces multum apud deum emolumenti consequi probat. Hinc & Paulus ad Hebręos scribens Christi sanguinem melius clamare, sanguine Abel asserit: Vtique quod Christus & moriens, & mortuus apud Patrem veniam exorauit: cum tamen & Abel, vt & Zacharias sacerdos, moriens dixerit, Videat dominus & requirat: illudque tandem etiam ad deum fuderit. Epiphanius scilicet hoc de oratione post mortem intelligendum cẽset lib. 1. in Hæres. tom. 1. hæres. 9. quæ est Samarita- *Commẽt. in Gen.* *Heb. 12. f.* *Genes. 4.* *Luc. 23. e* *Matt. 27. d* *2. Par. 24.* *S. Epiphanius.*

rum:post mortem enim,inquit, sanguis Abelis dominum alloquitur.

ABRAHAM anno mundi 2047, & ante Christum 1916, Angelos adorauit, & ad vnum ex his hanc orationem fudit.

Genes. 18.a Domine si inueni gratiam in oculis tuis,ne trãseas seruum tuum: sed afferam pauxillum aquæ & lauentur pedes vestri,&c.

LOTH item Angelos duos qui in Sodomã descenderant,adorauit,anno ante Christũ 1916:& eos sic precatus est.

Genes. 19.a Obsecro domini declinate in domum pueri vestri, & manete ibi:lauate pedes vestros, & mane proficiscemini in viam vestram.

Dominus deus sepulto Abraham Isaacum affatus merita defuncti illius patris apud se tantum momenti habere docuit, vt propter eum filio viuenti benefaciat, & posteris eius. Anno enim mundi 2170, & ante Christum 1792. dixit Isaaco:

Genes. 26.a Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli,daboque posteris tuis vniuersas regiones has: & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ,eo quod obedierit Abraham voci meæ, & custodierit præcepta mea & ceremonias meas, legesque seruauerit.

IACOB cum Angelo luctatus anno ante Christum 1731. benedictionem ab Angelis expetendam docuit. Ait enim ei.

Genes. 31.f Non dimittam te nisi benedixeris mihi.

Idem etiam cum ad Laban pergeret visio-

ne commonefactus fuerat Angelos nobis administros esse, & non tãtum ad nos dei consilia, sed & ad deum pietatem nostram perferre.

Vidit enim in somnis scalam stantem super terram & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoque dei ascendentes & descendentes per eam & dominum innixum scalæ. *Gene. 28.c*

Idem IACOB Patriarcha morti proximus anno mundi. 2254. & ante aduentum Christi 1708 filios Ioseph hac, quę sequitur, benedictione donando, sanctorum inuocationem præmonstrauit.

DEVS in cuius conspectu ambulauerunt patres mei Abraham, & Isaac, Deus qui pascit me ab adolescentia mea, vsque in præsentem diem, Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis: & inuocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham & Isaac, & crescant in multitudinem super terram. *Gene. 48.c Iacob sanctorum inuocationē premonstrauit.*

Annotatio.

Manifeste vtique præcipit patrum qui iam decesserant, suumque postquam obierit nomẽ inuocari, quo & benedictionem & profectum viuentes assequantur. Etsi enim visi sint oculis insipientium mori, illi tamen sunt in pace, & deo viuunt. Idcirco scriptum est: Deus Abraham, deus Isaac, & deus Iacob, nimirum, vt sub- *Sapi.3.a Exo.3.d.f Matt.22.d*

Mar. 12. b *Luc. 10. g* *Hierony.* infert Christus, deus non mortuorum sed viuentium: vt docte D. Hieronym. ad Riparium scribens examinat.

Genes. vlt. IOSEPH Patriarcha morte sibi imminente, fratres vltimis verbis affatus anno mundi 2308 & ante Christum 1654. sanctorum corporum reliquias asseruandas, easque in diuinæ inuocationem misericordię proficue deferendas esse, contestatus est.

Iacob' reliquias sancto rum asseruare docuit. Locutus est enim fratribus suis: post mortem meam deus visitabit vos, & ascendere vos faciet de terra ista, ad terram quam iurauit Abraham, Isaac & Iacob. Cumque adiurasset eos atque dixisset, deus visitabit vos, asportate ossa mea vobiscum de loco isto, mortuus est.

Annotatio.

Expendatur quis Ioseph qui id mandauerit, Patriarcha vtique & Propheta, diuino semper munitus spiritu: quando id iusserit, hac scilicet hora qua animam exhalaturus erat, qua dei & sui maxime meminisse debuerat: vnde grauissima sunt, & irrefragabilis authoritatis illius verba. *S. Clemens Papa.* Hinc Clemens. Petri discipulus colligit nec reliquias sanctorum post mortem sine honore manere lib. 6. constit. Apost. c. 30.

MOYSES magnus legislator anno mundi. 2454. & ante Christum 1507. Reliquias honorandas, & in benedictionis tesserã deferendas esse docuit: vt Exod. 13. d scribitur.

Armati aſcenderũt filij Iſrael de Aegypto. Tulitque Moyſes oſſa Ioſeph ſecum, eo quod adiuraſſet filios Iſrael dicens: viſitabit vos Deus, efferte oſſa mea hinc vobiſcum.

Moyſes deferendas ſanctorum reliquias teſtatur.

Annotatio.

Habebant enim hæc Emphaſim coniuncta, viſitabit vos, id eſt miſericordiam aget vobiſcũ: & efferte oſſa mea vobiſcum. Quod elatio ſanctarum Ioſeph reliquiarum Iſraelitis in benedictionem profutura eſſet.

Idem Moyſes ſanctorum memoriam & merita viuis adeo cõductura credidit, vt cum dominus ob Idololatriam in populum Iſraeliticum adeo iratus eſſet vt eum funditus diſperdere vellet: ad hæc velut optima quibus Deum placaret media recurrerit, cumq; hac oratione mitigarit.

Cur Domine iraſcitur furor tuus contra populum tuum, quẽ eduxiſti de terra Aegypti in fortitudine magna, & manu robuſta? Ne quæſo dicant Aegyptij: callide eduxit eos vt interficeret in mõtibus, & deleret è terra. Quieſcat ira tua, & eſto placabilis ſuper nequitia populi. Recordare Abraham, & Iſaac, & Iſrael ſeruorum tuorum, quibus iuraſti per temetipſum dicens: multiplicabo ſemen veſtrum: ſicut ſtellas cœli, & vniuerſam terram hanc de qua locutus ſum dabo ſemini veſtro & poſsidebitis eam ſemper.

Exod. 32. c

Moyſes ſanctorum merita & memoriam probauit.

Placatúsq; est dominus ne faceret malũ, quod locutus fuerat aduersus populum suum.

Annotatio.

Mortui erant Abraham, Isaac, & Iacob, mortui inquam corpore, viuẽtes autem anima, meritis, & apud deum reputatione. Nam statim vbi & eorum memoria, & merita deo proposita sunt, placatior ille redditus est. Hoc vtique nos suo exemplo docebat Moyses, irato deo, virorum qui illi à seculo placuerunt & memoriam & merita pretexere: vt dum nos ob sordes despicit, & nobis irascitur, illorum suffragiis placetur. Per hoc enim (inquit Augustinus) quod de Moyse scriptum est, admonemur cum merita nostra nos grauant, adeò vt non diligamur à deo, releuari nos posse apud eum illorũ meritis quos ipse diligit.

August. li. 2. quest. super exod. c. 149.

DEVS Moysi verba faciens, Angelos nostri sollicitos, eosdem attendendos & reuerendos, non autem contemnendos esse, aperte precepit: dicens.

Exod. 23. c.

Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te & custodiat in via, & introducat in locum quem præparaui. Obserua eum, & audi vocem eius, nec contemnendum putes: quia non dimittet cũ peccaueris, & est nomen meum in illo. Quod si audieris vocem eius, & feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te, præcedetque

te Angelus meus, & introducet te ad Amorræum, & AEthæum, & Pherezęum, Chananæumque & Euæũ, & Iebusæum, quos ego conterã.

DEVS, Honorem sepulturæ defunctis sanctorũ deberi corporibus facto confirmauit. Mortuus est enim Moyses seruus domini in terra moab iubente domino, & sæpeliuit eum in valle terræ Moab contra Phogor.

Deut. 24.b Deus corpora sanctorũ honorauit.

Annotatio.

Epiphanius tomo.1.lib.2.in hæreses secta 9.in samaritas, qui immũda defunctorum censebãt esse corpora: Hierony. quoque epist. ad Riparium in Vigilantium, reliquias sanctorum aspernãtem, ex hoc loco honoranda piorum corpora colligunt: cum deus sua etiam sepultura corpus Moysi dignatus sit.

Epiphanius Hierony.

ELIPHAM amicus Iob circa annum mundi 3684, & ante Christum 1515, sanctorum intercesionem credidit. Consuluit enim Iob sanctorũ patrocinia accersere dicens. Voca si est qui respondeat, & ad aliquem sanctorum conuertere.

Iob 5. Elipham ad sanctos nos cõuerti deberet decuit.

Annotatio.

Hoc de Angelis Origenes interpretatur: immo Caluinus ipse in Iob per sanctos vult Angelos significari. Vnde liquet istum credidisse eos qui in magna tribulatione sunt, ad Angelos se

conuertere debere:nimirum vt pro illis patrocinentur.Quod cum de Angelis certum ſit,cõcluditur quoque & ad ſanctos qui Deo fruuntur,conuerti nos oportere, cũ & gloria & charitate Angelis in cœlo æquentur, iuxta verbum Chriſti.

IOB ipſe vbi ſe à propinquis ſuis, & inquilinis domus ſuæ,& vxore,& filiis,& ancillis derelictum eſſe, & irriſum vidit, ad meliora cõuertitur ſuffragia:dicens.

Iob.19. Miſeremini mei,miſeremini mei,ſaltem vos amici mei,quia manus domini tetigit me.

Annotatio.

Hanc ſupplicationẽ D.Auguſtinus examinans: Angelos videtur (inquit) poſtulare, vt pro eo deprecentur, aut certè ſanctos, aut pro pœnitente orent.

HELIV vnus ex Iob amicis ſanctorũ quoque ſuffragia confirmauit,his verbis.

Iob.33.c. *Angelorũ oratio.* Si fuerit pro eo Angelus loquens vnum de ſimilibus, vt annunciet hominis æquitatem, miſerebitur eius.& dicet:libera eũ,vt non deſcẽdat in corruptionem.

Annotatio.

Sanè & pro nobis loquuntur Angeli,& faciunt vt nobis veritas annuncietur: cum etiam lex per Angelos data ſit in manu mediatoris. Eorum vtique pro nobis ſollicitudo, & affectus, ſatis eos & noſtræ cooperatores pœnitentiæ, qui & diuinam accerſant miſericordiam teſtatur.

Gal.3 c. *Act.7.g.* *Luca 15.*

Deus ad amicos Iob.

Sumite ergo vobis ſeptem tauros,& ſeptem arietes,& ite ad ſeruum meum Iob, & offerte holocauſtum pro vobis. Iob autē ſeruus meus orabit pro vobis, faciem eius ſuſcipiam, vt nō imputetur vobis ſtultitia. *Iob 42.b*

Abierunt ergo Elipham Themanites, & Baldad Suhites, & Sophac, Naamathites, & fecerunt ſibi ſicut locutus fuerat Dominus ad eos: & dimiſit peccatum eorum propter Iob. *Oratio iuſti deo placet.*

Annotatio.

S. IOANNES Chryſoſtomus tomo 4.homel.1.in 1.ad Theſſalo.cap.1. his ex verbis colligit nos aliorum precibus, ſanctorum verò maximè egere: iiſque permultum adiuuari. Cum enim non ſit abbreuiata manus Domini vt ſaluare nequeat, neque aggrauata auris eius vt nō exaudiat: noſtræ tantum iniquitates diuiſerunt inter nos & Deum. Proinde vbi nos ob ſcelera noſtra enormia & Deo offerre, & illum exorare erubeſcimus: certo ſcientes quod multum valet apud Deum deprecatio iuſti aſsidua, ſanctos illos qui iam cœlo fruuntur pro nobis patrocinari poſtulamus. *Chryſoſt.* *Eſa.59.a* *Iaco.5.*

Dominus Deus Iſraeli ob ſcelera infenſus, multum quidem apud eum ſanctorum patrocinia valere oſtendit: tum tamen cum & populus ad meliora contendit, & anteacta vitia dete-

ſtatur. Hæc quippe verba dei ſunt.

Ierem. 15. Si ſteterint Moyſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum.

Annotatio.

Chryſoſt. IDEM de Iob, Daniele cæteríſque electis expendit D. Chryſoſt. Tomo 2. homel. 5. in Math. ca. 1. & Tomo 4. homel. 42. 1. ad Cor. ca. 16. qui etſi apud Deum etiam vita hac caduca functi plurimum valeant, non tamen pro obſtinato Iudaico populo id impetrent quod efflagitant. Ita tamen vt optimus ille Pater his ex Dei verbis Magnæ virtutis preces orationéſq; ſanctorum eſſe colligat, ſed tunc profecto cum nos quoque idipſum per pœnitẽtiam poſtulamus, & ad ſtudia meliora confugimus.

Quando profuturæ ſunt preces ſanctorum.

Dauid Rex Iſrael & Propheta anno mundi 2890. & ante Chriſtum 1072.

Pſal. 138. c Mihi autẽ nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum.

Scholion.

Ioan. 12. Amicos vocat Apoſtolos & reliquos ſanctos, qui Deo ſyncero amore adhæſerunt: quibus Chriſtus iam nõ dicam, inquit, vos ſeruos, ſed amicos. Hos proinde honorandos ſanctos, prędixit Dauid: vtique quod eorum principa-

tus confirmatus est, facti enim sunt duces Ecclesiæ, ait Augustinus, facti arietes gregis, immo & turres: vt ait D. Basilius. *August. in Psal. 138*

Idem Dauid. *S. Basilius Homel. in 40. martyres.*

Pro hac (iniquitate) orabit ad te omnis sanctus, in tempore opportuno.

Illatio. *Psalm. 31.*

Et quidem vere sancti sunt, qui terminum viæ fœlicitatem assecuti sunt: vnde & illi pro peccatis nostris orant.

Idem.

Gloriosus Deus in sanctis suis. *Psal. 66.*

Idem. *Psal. 115.*

Preciosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.

Scholion.

Hunc versum S. Clemens li. 6. Constit. Apost. cap. 30. Pro sanctorum cultu & reliquiarum honore assumit.

Idem.

Leuaui oculos meos in montes: vnde veniet auxilium mihi.

Scholion.

Montes sunt Angeli & sancti omnes, quorum ope & meritis & intercesſionibus viator iuuatur. Casſiodorus in hunc locum.

SALOMON Rex Israel, & Ecclesiastes anno mundi 2930. & ante Christi Iesu aduentum anno 132. sanctorum laudē extulit, dicens. Memoria iusti cum laudibus, & nomen impiorum putrescet. *Prouer. 10.*

Ahia dissolutionem regni Israelitici apud Salomonem prędicens, merita sanctorum defunctorum viuis proficere docuit.

3.Reg.11.b Dixit itaque dominus (per Ahiam) Salomoni. Quia habuisti hoc apud te, & non custodisti pactum meum, & præcepta mea quæ mandaui tibi, disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo: veruntamen in diebus tuis non faciam, propter Dauid patrem tuum. De manu filij tui scindam illud, nec totũ regnũ auferã, sed tribum vnam dabo filio tuo propter Dauid seruum meum, & Ierusalem quam elegi.

Scholium.

S. Chrysostomus hom.2. in psal.50. & ho.35. de vitiis & virtutibus hęc dei verba examinans, ô rem, inquit admirãdam & ineffabilem clementiam. Dauid mortuus est, & viuo patrocinatur.

Miraculum quod contigit circa annum mundi 3105. & ante Christum 857. quo aperte docetur virtus sanctarum reliquiarum.

4.Reg.13. Mortuus est Helisæus, & sepelierunt eum. Latrunculi autem de Moab venerunt in terram in ipso anno. Quidam autem sepelientes hominem viderunt latrunculos, & proiecerunt cadauer in sepulcro Helisæi. Quod cum tetigisset ossa Helisæi, reuixit homo, & stetit super pedes suos.

Annotatio.

Magna itaque virtus sanctarũ reliquiarum: cum inexpectato absque vlla aut prece, aut fide cor-

pus illud proiicientium, mortuus resurrexerit.

TOBIAS senior filio Tobiæ in Rages Medorum proficiscenti valefaciens, anno ante Christum 722. Angelorum subsidia & comitatum plurimi ducendũ esse docuit: dicens.

Bene ambuletis & sit Deus in itinere vestro, & Angelus eius comitetur vobiscum. *Tob 5.d*

Idem ad vxorem.

Noli flere, saluus perueniet filius noster, & saluus reuertetur ad nos, & oculi tui videbunt illum: credo enim quod Angelus Dei bonus comitetur ei, & bene disponat omnia quæ circa eum geruntur: ita vt cum gaudio reuertatur ad nos. *Ibidem.*

S. RAPHAEL Angelus apud Thobiam circa annum mundi 3240. & ante Christi aduentum 722. hæc affatur.

Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. *Tob. 12.*

Illatio.

Quid est verò orationes alicuius offerre, nisi & pro eo etiam intercedere?

IVDITH amputato Holofernis capite, S. Angelorum curam de viuis satis testata est, anno mũdi 3250. & ante Christum 712. his verbis vsa.

Ecce caput Holofernis principis militiæ Assy-

riorum: & ecce conopæum illius in quo recum
Iudith.13.c bebat in ebrietate sua, vbi & per manum fœminæ percussit illum, Dominus Deus noster. Viuit autem ipse Dominus, quoniam custodiuit me Angelus eius & hinc euntem, & ibi cōmorantem, & inde huc reuertentem: & non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari, sed sine pollutione peccati reuocauit me vobis gaudentem in victoria sua in euasione mea, & in liberatione vestra.

Angeli nostri sunt custodes.

Scholion.

Refertissima est sacra scriptura similibus testimoniis, quibus Angelos nobis custodes, viç duces, & administros à Deo deputatos esse, asseritur. Sic Angelus Domini tollens se, qui prius
Exo. 14.c prçcedebat castra Israel, cū populus per mare rubrum persequentibus Aegyptiis, ambularet: abiit post Pharaonem & exercitū eius, & cum eo pariter columna nubis, vt castra Aegyptiorum à castris Israel secerneret, ne Pharao cum
Exod. 23.c. & 32.c suis in Dei populū irruere posset. Proinde Dominus: Ecce, inquit, Moysi, Angelus meus prçcedet te. Angelus quoque Domini in via con-
Nume.22.d tra Balaam, docet abstrusa cordis Balaam sibi nota. Angeli pro Helisæo ex aduerso Dothaim
4. Reg.6. d pugnare parati in Syrios: Angelus Domini in
4.Reg.19.g Castris Sennacherib centum octoginta quinque millia Assyriorum vna nocte interficiens, satis supérque, satis quātum nobis subsidia eorum vtilitatis afferant, aperte demonstrant. Fatetur ipse Petrus se ereptum ab Angelis, Christus

ſtus docet etiam his qui minimi ſunt Patris Angelos delegatos. Hoc ſi admittūt, Hagiomachi, cur nos beatorum ſubſidiis releuari negāt? Nolim hic de Angelis ſeptem Eccleſiarū Gręciæ, diſſerere: ſat eſt in Angelis collegiſſe, nos etiam Patrociniis ſanctorum qui æterna fœlicitate donati ſunt adiuuari, de nobis eos curam gerere, nobis opitulari, noſtræ viæ duces & reduces eſſe colligere: Nec beatitudinem eam ſollicitudinem prohibere, cum Angeli beati ſint, nec proinde miſeria dicātur affici, aut à ſuo fœlicitatis gradu excidere, ſi noſtra norint, curent & proſequantur. *Acto.12.* *Matt.18.* *Apoc. 1.* *Acto.12.*

IOSIAS rex Iuda facto docuit reuerentiam exhibendam corporibus piorum virorū: vt ſcribitur, 4. Reg.23. *Anno mūdi.3312. ante Chriſtum 650.*

Conuerſus Ioſias vidit ſepulcra quæ erant in monte Bethel. miſitque & tulit oſſa de ſepulcris, & combuſsit ea ſuper altare & polluit illud, iuxta verbum domini, quod locutus eſt vir dei qui prędixerat verba hæc. Et ait: Quis eſt titulus ille quem video? Reſponderuntque ei ciues vrbis illius: Sepulcrum eſt hominis dei qui venit de Iuda: & prædixit verba hæc quæ feciſti ſuper altare Bethel. Et ait: dimittite eum: Nemo commoueat oſſa eius. Et intacta manſerūt oſſa illius, cum oſsibus Prophetæ qui venerat de Samaria.

BARVCH Propheta preces fidelium defunctorum confirmauit anno mundi. 3337. ante Chriſtum vero 625. hac oratione.

Baruch. 3. Domine deus omnipotens deus Israel: audi nūc orationem mortuorum Israel, & filiorum ipsorum quia peccauerunt ante te, &c.

AZARIAS in fornace ardente per merita defunctorum Patriarcharum erui ab igne postulauit, anno mundi. 3368. & ante Christum 594: vt habetur Daniel. 3. d.

Orauit sic Azarias. Ne quæsumus tradas nos in perpetuum, propter nomen tuum: & ne dissipes testamentum tuum, neque auferas misericordiam tuam à nobis, propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuum, & Israel sanctum tuum, quibus locutus es pollicens quod multiplicares semen eorum sicut stellas cæli, & sicut arenam quę est in littore maris.

Vir vestitus lineis qui circa hæc tempora apparuit Danieli iuxta fluuium magnum, qui est tigris, sanctorum Angelorum opem, & pro suis patrocinia his verbis extulit.

Dan. 10. c d Noli metuere Daniel, quia ex die primo quo posuisti cor tuum ad intelligendum vt te affligeres in conspectu dei tui, exaudita sunt verba tua, & ego veni propter sermones tuos. Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti & vno diebus: & ecce Michael vnus de principibus primis venit in adiutorium meum. Et nūc reuertar vt prælier aduersus principē Persarum. Cum enim egrederer apparuit princeps Græcorum veniens. Veruntamen annunciabo tibi quod expressum est in scriptura veritatis: & nemo est adiutor meus in omnibus his, nisi michael princeps vester.

ZACHARIAS Propheta ſic induxit Angelum pro Iſraele orantẽ,anno mũdi. 3442. & ante Chriſtum 520.

Domine exercituum,vſquequo tu non miſereberis Ieruſalem, & vrbium Iuda quibus iratus es?Iſte iam ſeptuageſimus annus eſt.Et reſpondit dominus Angelo qui loquebatur in me verba bona,verba conſolatoria. Zacha. c.1.

IVDAS Machabæus eo ſuos in Nicanorem pugnaturos armat quod & Onias & Ieremias defuncti pro ipſis deum deprecarentur anno mundi 3802 & ante Chriſtum 160. vt patet lib.2.Machab.c.15.

Singulos autem illorum armauit non clypei & haſtæ munitione, ſed ſermonibus optimis & exhortationibus, expoſito digno fide ſomnio, per quod vniuerſos lætificauit. Erat autem huiuſmodi viſus. Oniam qui fuerat ſummus ſacerdos, virum bonum & benignum,verecundum viſu,modeſtum moribus & eloquio decorum, & qui à puero in virtutibus exercitatus ſit,manus protendentem orare pro omni populo Iudæorum. Poſt hoc apparuiſſe & alium virum, ætate & gloria mirabilẽ, & magni decoris habitudinem circa illum. Reſpondentẽ verò Oniam dixiſſe. Hic eſt fratrum amator & populi Iſrael, hic eſt qui multum orat pro populo, & vniuerſa ciuitate Ieremias Propheta Dei.

IESVS filius Syrach circa hæc tempora memorias ſanctorum,feſtiuitates,& venerationem commendauit,his verbis.

Ecclesiast. 44. Laudemus viros gloriosos & parentes nostros in generatione sua. Multam gloriam fecit Dominus, magnificentia eius à seculo. Illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defecerunt. Semen eorum & gloria eorum non derelinquetur. Corpora eorũ in pace sepulta sunt, & nomen eorum viuet in generationem & generationem. Sapientiam ipsorum narrent populi, & laudem eorum narret Ecclesia.

Idem reliquiarum virtutem Helisæi exemplo succinctè implicat: ait enim.

Ecclesiast. 48. In diebus suis Helisæus non pertimuit principem & potentia nemo vicit illũ. Nec superauit illum verbum aliquod, & mortuum prophetauit corpus eius. In vita sua fecit monstra & in morte operatus est mirabilia.

Idem memoriam iusti his verbis extulit.

Cap.39.b. Collaudabunt multi sapientiam eius, vsque in seculum non delebitur. Non recedet memoria eius, & nomen eius requiretur à generatione in generationem. Sapientiã eius enarrabũt gẽtes: & laudem eius enunciabit Ecclesia.

Claßis tertia confirmat ſanctorum SVFFRAGIA, COGNITIONEM, ET VENERATIONEM EX NOuo Teſtamento.

Chriſtus ipſe ſanctos in cœlo quæ circa nos aguntur reſcire, & nobis congaudere docet,
Luc.15.

DIco vobis quod ita gaudium erit in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quam ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pœnitẽtia: Sic gaudium erit corã Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. *Luca 15.*

Illatio.

Nimirum cum ſancti omnes ſint Angelis dei æquales in cælo, iuxta eiuſdem Chriſti Ieſu verba, conſequitur apertiſsime, non minus eos in cælo exultare, quam Angeli. Porrò non exultant de pœnitentia peccatoris, niſi eam nouerint: quis enim de re ignota exultat? nec congaudent de conuerſione, niſi & peccatori cum delictis inuoluerentur, & comparerentur, & eius ſalutis eſſent ſolliciti. Iam ſi beatitudo eſt omnium deſiderabilium finis, quod igitur ap- *Sancti omnes intima cordis pœnitentis norũt*

petent, nisi obstet malitia, pro suis assequētur.

Idem Christus damnatum diuitem pro suis fratribus orantem inducit.

Luc.16. Pater Abraham miserere mei. Mitte Lazarum
Damnatus orat pro suis. vt intinguat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac
Argumentum à minori ad maius. flamma. Rogo ergo te Pater, vt mittas Lazarū in domū patris mei. Habeo enim quinque fratres, vt testetur illis ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.

Illatio.

Si morti æternæ addictus, & suorum viuētium sollicitus est, & quæ circa eos aguntur rescire videtur, vnde & pro eis intercedit: quanto magis sancti in cœlo, qui & verbo in quo omnia videntur, fruūtur, & perfectissima donati sunt charitate. Immo & amici Dei sunt, vnde orantes pro suis non excludantur?

Idem Christus sanctos post mortem quæ hic agantur nosse & affici suorum impietate viuentésque quid in defunctos spei reponere impietate aperte demōstrat, apud Iudęos hec habens verba.

Ioan.5.g. Nolite putare quia ego accusaturus sum vos apud patrem. Et qui accusat vos Moyses in quo vos speratis.

Illatio.

Quomodo Iudæi sperabant ī Mose defuncto. Non vtique poterat Moyses dudum mortuus incredulitatis Iudæos accusare, nisi quæ circa eos fierent, nouisset. Et si accusare potuit incredulos, cur non etiam pro pœnitentibus ora-

re, maxime cum in eum ſperarent Iudæi? Non enim ſperabant ab eo, vt authore, bona & temporalia & ſpiritualia ſibi conferenda, alioquin Idololatriæ notam incurriſſent: ſperabant igitur in eo, vt patrono & interceſſore.

Idem Chriſtus ſanctorum venerationẽ his verbis implicat.

Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum pater meus. *Io.12.d.*

Illatio.

A minori enim ad maius iuſta ratiocinatio procedere poteſt. Si Deus omnipotens ſeruos Chriſti ſui honorat: an non nos terra & cinis eos honorare tenemur?

Angelus Gabriel digniſsimam virginem Mariam ſic ſalutare docuit. *Luc.1.*

Aue gratia plena, dominus tecum.

Annotatio.

Proinde Diuus Athanaſius ſermone de deipara. Baſilius & Chryſoſtomus in Liturgia, immo & Grçca & Latina omnis Eccleſia hac ſemper eam ſalute donauit.

Sancta Elizabeth D. Ioannis Baptiſtæ Mater, eam hiſce etiam titulis donauit.

Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me? Benedicta tu inter mulieres. Et beata quæ credidiſti, quia perficientur in te, quæ dicta ſunt tibi à Domino.

Sanctiſsima Maria etiam ipſa perpetuam ſui in Eccleſia venerationem prædixit.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce ex hoc beatam me dicent omnes generationes: Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctũ nomen eius.

ANGELVS Centurionem affatus, liquidò intercessionem cœlicolarum pro hic degentibus aperuit: vt Lucas Act.10. pandit.

Cornelius cẽturio vidit in visu manifeste, quasi hora diei nona, Angelum dei introeuntem ad se, & dicentem sibi. Corneli. At ille intuens eum timore correptus dixit. Quis es Domine? Dixit autem illi. Orationes tuæ, & Eleemosynę tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu domini.

Annotatio.

Angeli enim interest quid oretur, sed & memoria in conspectu domini quid aliud est, quã quod idem Angelus apud deum recensuit: vt & de Thobia Raphael testatur? ista autem recensitio non simul, vt diximus, supplicatio est?

PAVLVS Apostolus apertissime sanctorũ communionem, pro nobis sollicitudinem, eorum compassionem & in nos charitatis affectum corporis membrorum similitudine demonstrat: ait enim 1. Cor. 12.

Sicut corpus vnum est, & membra habet multa: omnia autem membra cum sint corporis, vnum tamen corpus sunt: ita & Christus. Etenim in vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue Gentiles, siue serui, siue liberi, & omnes in vno spiri-

tu potati ſumus. Nam & corpus non eſt vnum membrum ſed multa. Si dixerit pes, quoniam non ſum manus non ſum de corpore: num ideo non eſt de corpore? Et ſi dixerit auris, quoniam non ſum oculus nō ſum de corpore, num ideo non eſt de corpore? Si totum corpus oculus, vbi auditus? Si totum auditus, vbi odoratus? Nūc autem poſuit deus membra, vnumquodque in corpore ſicut voluit.

Scholium.

Quę Diuinus Paulus hic intonat ſatis inferunt vnam eſſe Eccleſiam, vnum Chriſti corpus myſticum: etſi alij aliis viliores & infirmiores ſint. Proinde cum ſancti in cœlo & fideles in via mēbra Chriſti ſint: ſunt enim baptizati in Chriſto, quo Paulus ibidem membra Chriſti agnoſcenda eſſe cenſuit: ſequitur ſanctos nobiſcum vnum corpus eſſe & vnius corporis mēbra. His pro fundamento poſitis ſubſequentia D. Pauli verba audiamus.

Idem Paulus.

Si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra. Et deus tēperauit corpus, ei cui deerat abundantiorem tribuendo honorem, vt non ſit ſchiſma in corpore: ſed in ipſum pro inuicem ſollicita ſint membra.

Scholium.

Quod Paulus infirmiora membra abundantiore honore circundari dicit, per honorē gratiam intelligit. Viator ſcilicet in dies gratia re-

dimitur à Deo: qua sancti adeo non indigent cum iam nihil eis desit. Vt ergo æque ad se pertinere & infirma & digniora membra deus ostenderet comprehensores quidem gloria: viatores autem vberiore gratia donauit. Nam cum sancti præueniente gratia non egeant, nõ rursus iustificante, qua si & peccare & pœnitere in cælo valeant: vtramq; suis viatoribus elargitur. Sic vtique vt velit nullum esse schisma in corpore, sed membra membris cõpati. Quid istud? Mẽbra vtiq; mẽbris cõpatiuntur, velit nolit Vigilantia. Hæreticus. Mẽbra sana membris infirmis, non infirma tantum infirmis: alioquin quomodo pro se inuicem sollicita essent? Quod si pro se inuicem sollicita Sunt: Sancti igitur in cœlo membra sana & digniora corporis quibus nihil deest, membrorum infirmorum eiusdem corporis, viatorum scilicet & huius seculi peccatorum fidelium curam suscipient, illisque compatientur: & pro vi sua eis subuenire nitentur. Quid hac conclusione apertius dici potest pro sanctorum communione, & intercessione confirmanda?

IDEM sanctorum, conuersationem & memoriam attendendam docuit, his verbis. *Hebr. 13. b.* Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum dei, quorum intuentes conuersationis exitum imitamini & fidem.

IDEM Paulus Angelorum cognitionem tantam astruit, vt & quæ loquatur nouerint: & cordis sui sinceritatem intelligãt.

Ait enim.

Testor coram deo, & Christo Iesu, & electis Angelis eius, vt hæc custodias sine præiudicio, nihil faciens in alteram partem declinando.

Annotatio.

Paulus sane se coram Angelis electis stare non diceret nisi eos sibi præsentes, eaque quæ dicit intelligere certo sciret.

S. LVCAS Apostolus acta Petri & Pauli recensens virtutem etiam vestimentis & zonis sanctorum inesse insinuat. *Act.5.b*

Magis augebatur credentium in domino multitudo virorum ac mulierum: ita vt in plateas eiicerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis: vt veniente Petro, saltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum & liberarentur omnes ab infirmitatibus suis. Concurrebat autem & multitudo vicinarum ciuitatum Ierusalem, afferentes ægros & vexatos à spiritibus immundis, qui curabantur omnes.

Scholium.

En vt vmbra saltem Petri liberabantur infirmi: quid non itaque magnæ virtutis est in sanctis, & iis quæ ad eos pertinent? num potiores corporis reliquiæ, vmbra corporis?

Idem Lucas.

Ephesi virtutes non modicas quaslibet faciebat deus per manum Pauli, ita vt super languidos deferrentur à corpore eius sudaria & semicincta, & recedebant ab eis languores & spiritus nequam egrediebantur. *Acto.19.b*

Mulier quæ ſanguinis fluxũ patiebatur idem ſe credere & verbo & facto inſinuauit.
Math.9.c. Dicebat enim intra ſe. Si tetigero tantum fimbriam veſtimenti eius, ſalua ero. Et acceſsit retro & tetigit fimbriam veſtimenti eius.

S. IOANNES Apoſtolus in ſua Apocalypſi ſanctos pro nobis orare in cœlo intulit.
Apoc.5.c. Quattuor animalia & viginti quattuor ſeniores ceciderũt coram agno, habentes ſinguli citharas& Phialas aureas plenas odoramentorũ, quæ ſunt orationes ſanctorum.

Idem.

Apoc. 8.a. Et alius Angelus venit & ſtetit ante altare, habens thuribulum aureũ, & data ſunt illi incenſa multa: vt daret de orationibus ſanctorũ omnium ſupra altare aureum quod eſt ante thronum Dei.

Scholium.

Quid quæſo eſt dare ante Dei thronum de ſanctorum orationibus Deo, niſi ſimul orare? Iam cum conſtet illud Angelum in cœlo exequi, relinquitur nobis eſſe Angelos in cœlo patronos & interceſſores: Quibus æquabũtur iuxta verbum Chriſti ſancti illi qui iam beata fruuntur viſione. Nec oberit quod illos ſine corpore eſſe dicant cum nõ corpore, ſed ſpiritu oretur vt docet Paulus. Demũ viginti quattuor ſeniores non Angelorum, ſed ſanctorum & Patriarcharum & Apoſtolorum perſonas inſinuãt qui Deo offerũt orationes ſanctorum quod ſinguli & omnes illi pro nobis apud Deum in cœ-

lo precentur.

Idem Ioannes.

Et cum aperuisset sigillum quintum, vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium quod habebant. Et clamabant voce magna dicentes. Vsquequo Domine sanctus & verus, non iudicas & non vindicas sanguinem nostrum, de iis qui habitant in terra? *Apoc.6.c.*

Illatio.

Si martyres post mortem de obstinatis vindictam petunt: vt & ab eis liberetur terra, & illorum suppliciis cautiores sint homines simulque Deus glorificetur: cur non etiam pro pœnitentibus orabunt cum proniores sint ad veniam, quam ad vindictam? Deo enim fruuntur, qui charitas est, vt & Hieronymus libro de viro perfecto aperit.

Idem D. Ioannes prçuidit Antichristum sanctos blasphematurum.

Et data est illi (Bestiæ Antichristo) potestas facere menses quadraginta duos. Et aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen eius, & tabernaculum eius, & eos qui in cœlo habitant. *Apoc.13.*

Scholium.

Qui sunt quæso illi qui in cœlo habitant? & quodnam est Dei tabernaculum? Num qui in cœlo habitant electi sunt sancti & Angeli, & Dei Tabernaculum est Ecclesia? Vides igitur vt hçc omnia per suos Sathan impleat? In Deũ

blaſphemant, dum fidem impugnant & Chriſtum: in Tabernaculum eius, dum Eccleſiam peſſundant: aut ſi per Tabernaculum Diuam Virginem Mariam intelligis, illius honori inuident, & eius ſanctorumque qui in cœlo ſunt honorem, & merita extinguere nituntur.

Quidam ſtantes cum Chriſtus pro mundi ſalute pateretur, ſanctos viros in neceſsitatibus euocari ſolitos, calumnia Chriſto illata ſignificarunt: dicentes.

Helvam vocat iſte. Sine videamus an veniat Helyas liberans eum.

Claßis quarta ab ipso Christo Iesu adusq;

GREGORIVM

PRIMVM PONTIFICEM ROMANVM, QVINGENTOS primos annos, & centum tresque auctores complectitur: qui nos mille plus annis præcesserunt.

S. SIMON ZELOTES APOstolus.

CRedo sanctorum communionem. *In symbolo, vt testatur S. August. serm. de tempore ser. 2. in die Palmæ.*

Scholium.

Sanctorũ cõmunio cõsequitur Ecclesię vnionẽ vt diximus: pinde sicut vnã nos fateri oportet Ecclesiã, ita & eã quę inter sanctos est cõmunionẽ. Vnus deus & vna fides docent vnicum esse Christi Iesu ouille, siue hoc iam cœlo fruatur, siue hic in terris ingemiscat & adoptionem filiorum dei præstoletur. Neque enim aliud illis, & aliud nobis caput est: Vnũ quippe Christũ pater cõstituit caput super omnem Ecclesiam. Porro nos & illi vnum corpus sumus, non duo corpora, sicut nec alia atq; alia Ecclesia. Etenim in vno spiritu omnes nos in vnũ corpus Baptizati sumus, siue Iudæi, siue Gẽtiles, siue serui, siue liberi: & omnes eodẽ spiritu potati sumus. Considera igitur tu mihi mẽbrorũ vnius eius-

A ratione Ecclesiæ ad sanctorum communionẽ consecutio. *Ephes. 4. a.* *Io. 10.* *Rom. 8. d.* *1. Cor. 11. a.* *Eph. 1. d. & 4. d & 5. e.* *Col. 1. e. & 2, b.* *1. Cor. 12. b.* *Corporis vnius membrorum*

Sympathia docet sancto rum commu nionem. demque corporis sympatiam, & inter se communionem:& facile perspicies quæ sit illa sanctorum id est fidelium omnium qui semel sacro baptismate sanctificati, aut iã ab omni labe immunes euaserunt, aut vt sanctificẽtur adhuc adlaborant, cõmunio. *Quid nomine sanctorũ significetur.* Corpus vtique cũ Paulo loquar, nõ est vnum membrũ sed multa. *2.Cor. 11. a* Quod si essent omnia vnum membrum, vbi corpus? Nunc autem multa quidem membra, vnum autem corpus. Quod verò membrum ægro membro non compatitur, si vtrumque vnius sit eiusdemque corporis? *A viatore ad comprehensorem argumentum.* Proinde Paulus: Quis infirmatur, inquit, & ego non infirmor? Quis scãdalisatur, & ego non vror? *Quid sancti* Tanta igitur fuit Pauli cum cæteris membris communio, vt statim cum infirmo infirmaretur, & afflicto *2.Thess. 2. d* *1.Thess. 4.* *1. Pet. 1. a* compateretur. Hoc sane vt de iis viatorib⁹ q ad san *Leuit. 11. g & 19. a.* ctificationem non autem ad immundiciam vocati sunt, immo qui sancti dicuntur quoniam *Apoc. 1.* *Roma. 5.* & deus eorum sanctus est & loti sunt à peccatis suis in sanguine Christi: ita & de comprehẽsoribus qui beata illa dei opt. Max. illustrantur claritate cõcludere immo credere necesse est. Sunt illi nimirum vt diximus, vnica nobiscum Ecclesia & vnũ corpus. Quapropter sicut nos vna fides, charitas, immo vnus deus, vnus Christus, vnum Baptisma, vnius salutis exportatio *Ioan. 2.* socios fecit: & quemadmodum caput Ecclesiæ Christus in membra semper influit quandiu membra in corpore illius sunt, ita Sancti semper nobis compatiuntur, Nosque illis vnica &

ſimplici charitate colligamur. Quicquid in illis eſt meriti, viuis etiam communicatur: vt & de ſeipſo Paulus conteſtatus eſt, his verbis. Adimpleo ea quæ deſunt paſsionum Chriſti, pro corpore eius quod eſt Eccleſia. Communicabatur enim Pauli meritum Eccleſiæ Chriſti, ſicut & Abrahæ pietas profutura erat Sodomitis & Gomorrheis, ſi illi ſe ad pœnitētiam flectere, & membra Eccleſiæ exhibere voluiſſent. Nec minus in ſubſequentibus audiemus mortuorum merita, etiam his qui mare huius ſeculi nauigabāt, profuiſſe. Eſt igitur communio meritorum cum eorum qui nobiſcum pie verſantur, tum eorum qui gloriā immarceſsibilē adepti ſunt: quæ ad omnem militantem Eccleſiam deriuatur, vt inter aduerſa, inter diuinæ iracundiæ flagella, his Paulum, non minus quam ægra membra eorū quæ ſana ſunt, ope releuetur. Videant igitur Hagiomachi quid ſibi velint, & vnius Eccleſiæ, ſimulque corporis Chriſti ratione habita, quam miſere ſanctorum ſuffragiis & meritis aduerſentur, cōſiderent. Quomodo enim cum Apoſtolis vnicam Eccleſiam, & ſanctorū communionem fatebuntur? Quod ſi in vno hoc fidei articulo offendunt, omnium ſanè rei facti ſunt, vnde & indignos ſe qui fideles dicantūr, oſtendunt. Sed nos aliquādo, deo dante, de hoc fidei ſymbolo fuſius.

Merita ſanctorum viuis communicantur.
Col. 1. d.
Gen. 18. c. d
Iac. 2. b.

S. IACOBVS FRATER DOMIni *in sua Liturgia.*

S. Mariæ Virginis encomia & titul. *Beatá Deipara irreprehensa Mater Dei nostri Honorabilior Cherub, Gloriosior Seraph. sine corruptione gratia plena, Templum sanctificant, Paradisus spiritualis Virginum gloria, Thronus. Cui omnes gratulātur.*

Dignum est vt te vere beatam dicamus deiparam, semper beatam, & omnibus modis irreprehensam: & matrem Dei nostri, honorabiliorem quam Cherubin, & gloriosiorem quam Seraphin, quæ sine corruptione Deum verbum peperisti: reuera deiparam magnificamus. Tibi ô plena gratiæ vniuersa creatura gratulatur, Angelorum cœtus & hominū genus: quæ es templum sanctificatum, paradisus spiritualis, virginum gloria ex qua Deus carnem assumpsit & puer factus est Deus noster, qui est ante secula. Tuum enim vterum thronum fecit, & tuum ventrem latiorem ac ampliorem cœlis ipsis reddidit. Tibi ô gratiæ plena vniuersa creatura gratulatur: Gloria tibi.

S. PETRVS APOSTOLOrum *princeps hæc in ipsis diebus, quibus sibi vitæ finem imminere præsensit Clementem est affatus.*

Ex epist. 1. Clemētis ad Iacobum fratrē Domini.

Certus esto quod necesse est te suscipere omne periculum, quia nec ego pro salute omnium ab obsecrando cessabo.

S. MARTIALIS CHRISTI IESV *discipulus.*

Epist. ad Burdegal. cap. 1.

Dum altaria dæmonum in puluerem redigerentur, aram ignoti Dei ad consecrationem reseruari iussimus: qua dedicata in nomine do-

mini Dei Iſrael, & ipſius teſtis Stephani qui pro eo à Iudæis paſſus eſt, non hominis cultum, ſed Dei in ea frequentatis. Stephanus enim non Deus, ſed amicus Dei fuit, qui pro teſtimonio eius animam ſuam poſuit. *Ara in honore S. Stephani.*

Idem.

Confido De vobis quod liberabimini ab aduerſariis qui valde torquentur, in veſtra bona fama & ſanctis eius fidutia. *Epiſt. ad Toloſanos c. 19. Fiducia in ſanctis.*

S. ABDIAS BABYLONIAE EPIſcopus *Apoſtolorum diſcipulus, qui Chriſtum in carne vidit.* *lib. 2. hiſt. Apoſto.*

Corpus Petri vnus ex diſcipulis eius Marcellus, nullius expectans ſententiam, propriis manibus de cruce depoſuit, & pretioſiſsimis aromatibus conditum, in ſuo ipſius ſarcophago collocauit, in loco qui dicitur Vaticanus, vbi totius orbis veneratione celebratur in pace. *Corp⁹ S. Petri honorifice ſepultum.*

Idem.

Epheſi Ariſtodemus & proconſul cum baptizati fuiſſent, cum vniuerſis domibus ſuis, & familiis, & affinitatibus fregerunt omnia ſimulacra, & fabricauerunt Baſilicam in nomine ſancti Ioannis. *lib. 5. hiſt. Apoſt. Baſilica in nomine S. Ioan. lib. 6.*

Idem.

Rex Xerxes corpora Apoſtolorum Simonis & Iudę in templo quod ex quadratis marmoribus ſignaticis extruxerat, repoſuit. Sarcophagũ autem corpora portantem ex argento puro inſtituit. Factaq; eſt fabricæ ædificatio per annos *Capſa argentea conduntur corpora. S. Simonis & Iudæ fe-*

ſtum Apoſtolorum. Peregrinationes. tres continuos,& conſummata die natalis Apoſtolorum,& die coronationis, calend.Iulij dedicata.In quo loco beneficia cõſequuntur, qui credentes in dominum Ieſum Chriſtum illuc meruerint peruenire.

Idem.

l.7. Hiſt. Apoſt. feſtũ S. Mat. Celebremus omnes cum gaudio martyrium Apoſtoli Matthæi:dicebant Presbyteri, diaconi,ac clerici, diuo Matth. in Aethiopia occiſo.

Idem.

l. 8.hiſ.eiuſ. corp⁹ S.Bartholomæi digne ſuſceptũ. Populi duodecim ciuitatum quę per Bartholomeum crediderant,cum rege Polymmnio, cũ eum eſſe decollatum audiſſent, venerunt, & abſtulerunt cum hymnis, & cum omni gloria corpus eius.

Idem.

li.10.Interceſſio ſanctorum. In ſepulcro Diui Philippi pręſtantur beneficia Dei,orante Apoſtolo.

S. HERMAS PAVLI DICSIPVlus *cuius idem meminit ad Romanos ſcribens.*

Viſione 3.li. Paſtoris. Hunc Ieronymus inter ſcriptores catholicos recẽſet,in catholico virorum illuſtrium. Lapides illi quadrati & albi qui in ſtructura ſunt conuenientes in commiſſuris ſuis: ij ſunt Apoſtoli & Epiſcopi & Doctores & miniſtri qui ingreſsi ſunt in Dei clementia, & Epiſcopatum geſſerunt,& docuerunt, & miniſtrauerunt ſanctè & modeſtè electis Dei qui dormierunt, & in ſe pacem habuerunt & ſe-inuicem audierunt. Propter quod & in ſtructuram turris conueniunt commiſſuræ eorum.

Annotatio.

Per turrim Ecclesiam interpretatur, quæ & ædificata est, & nunc etiam viris illis sanctis ædificatur: vtique etiam nunc ad nostram salutem conducentibus, & pro nobis sollicitis.

S. HIEROTHEVS FLORVIT *anno* 100. *In Hymnis amatoriis quorũ meminit. Dionysius Areopag. li. de diuinis nominibus c. 4. par. 2.*

Amorem, siue diuinum, siue Angelicũ, siue spiritualem, siue animalem, siue naturalem dixerimus, insitiuam quandam intelligamus commiscétémque virtutem: superiora quidem mouentem ad inferiorum prouidentiam, æqualia verò rursus ad socialem sui inuicem communionem, ac postremo loco inferiora, vt ad potiora & sublimiora conuertantur adigentem.

Illatio. *Charitas est in sãctis sit, eorum in nos piũ affectũ & suffragia infert.*

Si igitur Angelicus amor prouidentiam superiorum ad inferiora, & conuersionem inferiorum ad sublimiora excitat: hícque amor diuinus est & spiritualis, eo sane & Angeli & sancti dotati refulgent: iidémque dei omnium superioris ad nos qui inferiores immo infimi sumus prouidentiam quoquo modo excitabunt, mentémque nostram ad superiora eleuabunt: sicque nobis permultum proficient.

S. DIONYSIVS AREOPAGITA *passus est anno* 110. *li. de diuinis nomi. c. 2.*

Perfectæ pacis integritas, ad ea quæ sunt omnia per simplicissimam ipsius & meram viuificæ virtutis præsentiam penetrat, coniungens omnia, & extremis extrema per media connectens, per vnam quidem cognatam amicitiam

Pacis integritas nos sãctis coniungit: & illorũ participes facit.

copulata atque vltimis quoque mundanæ machinæ molitionibus, vt se fruantur indulgens cognataque efficiens omnia, vnitatibus, identitatibus, insitionibus, collectionibus, quandoquidem diuina pax nulli diuisioni perstat obnoxia: & in vno indicat omnia, & per omnia pergit & nusquam à propria identitate discedit. Sane ad cuncta procedit, suique participationem omnibus tradit pro singulorum modo, ac pacificæ copia fœcunditatis exuberat.

In pace sunt sancti, nõ ergo nos destituunt.

Idipsum quoque pacis desiderium esse statuimus: amant enim omnia ad seipsa & habere pacem, & esse coniuncta, atque in eo esse statu vt à seipsis, & suis moueri, decidereque non possint,

Illatio.

Beatitudinis descriptio decet sãctos in cœlo audiri.

Iam cum sancti in cœlo eam pacis integritatem assequantur, (alioquin enim beati non essent) appetent à suis moueri, & non decidere: id est & orari ab his qui eorum egent intercessionibus & meritis, & eos iuuare à deo vt ab his non decidant, id est deficiat eis suum ipsorum auxilium. Quod si beatitudo finis est desideriorum, quod rogabunt illi (quicquid enim rogant æquum, & diuinæ bonitati consonum est) impetrabunt.

Idem.

Enimuero sanctorum post pacem illam nominum prædicatio, eos attollit, qui pie sanctéque

vixerunt,& ad finem vſque virtutis vitam con ſtanter nuſquam ab ea deflectendo tenuerunt. Nos quidem ad imitandum beatiſsimum illorum habitum, atque ad diuina appetenda præmia conuocans & ducens. Illos autẽ veluti viuentes prædicans, qui (vt Theologia ait) non mortificati, ſed in diuinã penitus vitã ex morte tranſlati ſunt. Inſpice autem vt ſacris quoque memoriis aſcripti ſint. Nempe enim diuina memoria non humano more (in phantaſia eius partis vbi ſedes eſt memoriæ) inſinuamur, ſed ſacratiore quodam modo iuxta eam quam in deo intelligimus, vt ita dixerim, pretioſam & nunquam migrantem ſcientiam, eorum qui in dei imaginem exceſſere, atque in Deo conſummati ſunt. Nouit enim, vt ait ſcriptura, qui ſunt eius: & pretioſa in conſpectu domini mors ſanctorum eius. Quę ꝓfecto ſanctorum mors pro conſummata in ſanctitate dicitur vita. Sed & illud quoque ſacratius intuere, quod impoſitis ſancto altari venerabilibus ſignis per quæ Chriſtus & ſignatur & ſumitur, adeſt protinus atque incunctanter ſanctorum deſcriptio, coniunctionem eorum indiuiduam, vnionemque cum illo altiſsimam & ſacratiſsimam indicans.

Lib. Eccleſ. Ierarch. c. 3. Memoria ſanctorum in Miſſa. Sancti non ſunt dicendi mortui.

Coniunct io indiuidua ſanctorum cum Deo & nobis, per Euchariſtiã deſignatur. lib. de diuinis nominibus cap. 3.

Idem.

Apud ipſos diuino ſpiritu plenos pontifices noſtros, cum & nos vt noſti, & plerique ex ſanctis fratribus noſtris ad contuendum

Omnes Apostoli ad Exequias dignissimæ matris Christi conuenerunt.

corpus illud quod authorem vitę deumque cœperat conuenissemus, (aderat & frater domini Iacobus, & Petrus supremū decus & antiquissimum Theologorum columen) vbi post contuitum placuit vt infinitæ potentem diuinæ infirmitatis bonitatem laudarent omnes pontifices, quisque pro captu suo: Ille, vt nosti, post Apostolos omnibus aliis laudatoribus superior erat.

l. de Eccles. Hierar. c. 7 par. 3.

Nemo nisi superbus respuit orationes sanctorum.

Idem.

Hanc (reuerentiæ sanctorum, & sanctarum illorum petitionum) si quis spernat sacrosanctā disciplinam, atque infelici elatione seductus dignum se diuina arbitretur familiaritate sanctosque despiciat: hic certe imperita postulatione per seipsum nunquam potietur.

Ibidem.

Honoranda sunt sanctorū corpora.

Idem.

Si in anima & corpore vitam sanctam qui defunctus est duxit: honorabile erit cum sancta anima, & quod sacris sudoribus cum illa decertauit corpus. Hinc diuina iustitia cum suo corpore digna illa largitur præmia, vt comiti atq; consorti diuinæ siue contrariæ vitæ.

S. CLEMENS PAPA ET MARtyr martyrio coronatur anno III.

lib 6. constitut. Apostol. cap. 30.

Sancti mortuorum nomine conscendi non sunt.

Matt. 22. d

Qui in Deum crediderunt, quanquam obierint, tamen non sunt mortui. Dicit namque dominus Sadducęis de resurrectione mortuorum. Non legistis quod scriptum est quoniam ego deus Abraham, deus Isaac, deus Iacob? Non est deus mortuorum sed viuentium: omnes enim

in ipso viuunt. Igitur eorum qui deo viuũt nec reliquiæ sine honore manent. Nam Helysæus propheta post discessum è vita mortuum quendam excitauit, interfectum à Piratis Syriæ. Attigit enim corpus eius Helisęi ossa, atque ita reuixit excitatus. quod factum non esset, nisi Helisæi corpus sanctum fuisset. Et Ioseph complexus est Iacob post mortem, cum iaceret in lectulo: & Moses ac Iesus Naue Iosephi reliquias secum duxerunt, quod minime putauerunt piaculum.

4. Reg. 13.
Corpus Helisæi sanctũ. fuit.
Exod. 13.

Idem.

Sanctornm Martyrum memoriam colamus, vt digni efficiamur certaminis ipsorum.

lib. 8. const. Apost. c. 19

Idem.

In diebus Apostolorum quiescant serui: Magistri enim vestri in Christo fuerunt, & spiritus vos participes fecerunt. In die Stephani prothomartyris quiescant, & reliquorum sanctorum Martyrum, qui Christum vitæ proprię anteposuerunt.

Eodem lib. cap. 39.
Festiuitates Apostolorum obseruandæ & omnium sanctorum.

S. AVRELIANVS S. MARTIA-

lis discipulus moritur circa annum 112.

S. Martialis apud Lemouicas cum omni populo venit ad templum idolorum, in quo erat statua Iouis, Mercurij & Veneris. Confractisque idolis dedicauit ibi Ecclesiam in honore sancti Stephani prothomartyris.

In vita S. Martialis.
Ecclesiam in honore S. Stephani.

Idem.

Constituit tale decretum ille beatissimus doctor Aquitaniæ Martialis, in omni Lemonicen

Peregrinatio ad S. Stephani sacrã ædem.

Luminariũ & oblationum vsus.

sium prouincia, & per Aquitanorum circumiacentium finitima loca, vt homines hanc patriam inhabitantes omni anno, quatuor succedentibus sibi vicissim temporibus, ad Ecclesiam supradictæ suæ sanctę sedis in qua ipse per viginti annos Episcopus sedit, in honore beati Stephani prothomartyris consecratam venirent, orationum munera delaturi & deprecationum vota, in cinere & cilicio, cum oblationibus & luminariis vota offerendo. Sicque venientes ad locum, quo venerabilis eius tegitur vrna sepulcri, tribus diebus ibidem perseuerantes permanerent, benedictioneque accepta, simul peccatorum remissione pro fide ab eodem pastore sanctissimo impetrata post trium dierum venerabilia ieiunia, vnusquisque reuerteretur ad propria.

Idem.

Miracula fiunt attactu sudarij S. Martialis.

Conueniebãt ad exequias sepulturæ beati Martialis multi Dæmoniaci & cęci, & diuersis infirmitatibus oppressi qui ad eum videndum ex longinquis regionibus aduenerant, licet eum minime videre potuissent. Beatus autem Alpinianus discipulus eius clarissimus sanctitate, accipiens sudarium eius tangebat ex ipso infirmorum corpora, & ad Christi inuocationem cunctos sanitati restituebat. Nullus enim infirmus sudario beati Martialis tactus fuit, qui non continuo recesserit sanus.

Idem.

Adsit nobis ille (Martialis) de secularibus, qui in

orbe extitit pastor pius, vt orationibus eius mu niti, mereamur hæreditatis æternæ participes adsciſci sanctorum collegio, in regnum domini nostri Ieſu Christi cui eſt gloria in ſecula ſeculorum, Amen. *Oratio S. Aureliani ad D. Martialem.*

S. PIVS PAPA VIXIT *anno* 147.

Cura ſanctorum Martyrum corpora ſicut mẽbra dei, quemadmodum curauerunt Apoſtoli ſtephanum. Fratres noſtri quos per Attalum recognoſces, de tyranni ſæuitia iam liberati requieſcunt in domino. Paſtor Preſbyter titulum condidit, & digne in domino obiit. *Ad Iuſtũ Epiſcopum Epiſtola. Sanctorum corpora digne curanda.*

S. IRENÆVS EPISCOPVS ET *Martyr claruit anno* 184.

Sicut Eua inobediens facta, & ſibi & vniuerſo generi humano cauſa facta eſt mortis: Sic & Maria habens predeſtinatum virum, tamen virgo obediens, & ſibi & vniuerſo generi humano cauſa facta eſt ſalutis. *l.3. in Hæreſ. c.23. & 4. c.33. S. Maria mater dei Euæ facta eſt aduocata.*

Seducta eſt male illa, quę iam viro deſtinata erat virgo Eua: per veritatem euangelizata eſt bene ab Angelo, iá ſub viro virgo Maria. Quẽadmodum enim illa per Angelicum ſermonem ſeducta eſt, vt effugeret deum, pręuaricata verbum eius: ita & hæc per Angelicum ſermonem euangelizata eſt, vt portaret deum obediens eius verbo. Et ſicut illa ſeducta eſt vt effugeret deum: ſic & illa ſuaſa eſt obedire deo, vti virginis. Euę virgo Maria fieret aduocata. *lib.5. in hæreſes. Collatio Euæ cum S. Maria Virgine. Geneſ. 3. Luc. 1.*

Idem Ireneus.

lib. 3. in hæres. c. 20.

Ad tãtam temeritatem progreſsi ſunt quidam, vt etiam martyres domini ſpernant, & vituperent eosqui propter domini confeſsionem occiduntur, & ſuſtinent omnia à domino prædicta, & ſecundum hoc conantur veſtigia ſequi paſsionis domini, paſsibiles Martyres facti, quos & concedimus ipſis martyribus. Cum enim inquireretur ſanguis eorum & gloriã conſequentur, tunc à Chriſto confundentur omnes qui inhonorauerunt eorum Martyrium.

Heretici S. Martyres ſpernunt.

li. de corona militis.

TERTVLLIANVS AFER FLOruit anno 210.

Oblationes annuas pro defunctis, pro natalitiis (martyrum) annua die facimus.

Idem.

lib. de præſcript. contra hæreticos.

Fœlix Romana Eccleſia cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine profuderunt: vbi Petrus paſsioni dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur, vbi Apoſtolus Ioannes poſteaquam in oleum igneum demerſus, nihil paſſus eſt, in Inſulam relegatur.

Martyrium S. Petri & Pauli Romam decorauit.

Oratione de conſummatione mundi & Antichriſto.

S. HIPPOLYTVS EPISCOPVS *& Martyr vixit anno.* 220.

Cum venerit filius hominis in gloria ſua, dicet impiis. Pedes veſtros ordinaui, vt ambularetis in præparatione Euangelij pacis, tum in Eccleſiis, tum in domibus ſanctorum meorum: at vos docuiſtis currere ad adulteria, ſtupra, ſpectacula, ſaltationes in ſublime iactationes.

Eccleſiæ ſanctorum.

ORIGENES ADAMANTIVS *excelluit anno* 230. *l.8.contra Celsum.*

Vnus nobis placandus est Deus, & vt propitius sit exoptandum, qui vtique & virtute & pietate placatur. Quod si quis alios velit præter Deum omnipotentem placatum hic iri, intelligat quemadmodum & corpus id cum mouetur, & vmbram habet se subsequentem, sic itē & qui deum summum placarit, & illius amicos propitios vt habeat, sequitur. Angelos scilicet animásque, & spiritus cæteros beatiores, quippe qui simul & sentiant, quinam sint dei benignitatem promeriti. Nec solum se hi erga digniores quosque propitios reddunt, sed & deo gratificari volentibus opitulantur: hisque & placationem hunc faciunt, vnáque & supplicant & precantur: ita vt affirmare ausim id, vel hominibus vltro quæ potiora sunt destinantibus, Deóque supplicantibus, potestates illas innumeras nec vocatas quidem vltro deum vna comprecari, generíque huic nostro adesse & cum dæmonibus, vt ita dixerim, certamen inire quos viderint eorum impugnare salutem, qui se Deo permiserunt.

Qui deum placat, etiam eius amicos habeat propitios.

Sancti sentiunt merita viatorum.

Orant sancti pro nobis

Idem.

Cum sit humanæ naturæ admirabilis facta constructio, videlicet templum Dei & verbi eius: discipuli cæteríque sancti non solum tunc, sed etiam modo miranda opera erga figmentum humanum confitentes, ante conspectum Christi intercedunt, & Christum prouocant, vt ne

Homil. 27. In Matt. c. 24.

Non solum sancti ī hac vita sed & in cælo intercedunt.

deſerat genus humanum propter peccata ipſorum,ſed magis moueant eum ad indulgentiam opera eius miranda, quam ad iracundiam iniquitas eorum.

Idem.

Homel. 3. in Cantica. *Charitas ſanctorum facit vt ij curam noſtræ ſalutis gerant.* *2. Mac. 15.*

Omnes ſancti qui de hac vita deceſſerunt, habentes adhuc charitatem erga eos qui in mundo ſunt,ſi dicantur curam gerere ſalutis eorum, & iuuare eos precibus ſuis, atque interuentu ſuo apud deum non erit inconueniens. Scriptum eſt namq; in Machabæorum libris ita: Hic eſt Ieremias Propheta dei qui ſemper orat pro populo.

Idem.

lib. 3. in Iob Animaduertamus ô homines, quæ immutatio facta eſt in hominibus. Nam priores diem natiuitatis celebrabant, vnam vitam diligentes, & aliam poſt hanc non ſperantes. Nos vero nunc,non natiuitatis diem celebramus,cum ſit dolorum atque tentationum introitus:ſed mortis diem celebramus,vtpote omnium dolorum depoſitionem atque omnium tentationum effugationem.Diem mortis celebramus,quia nō moriuntur hi qui mori videntur. Propterea & memorias ſanctorum facimus& parentum noſtrorum,vel amicorum in fide morientium deuotè memoriam agimus: tam illorum refrigerio gaudentes,quam etiam nobis piam conſummationem in fide poſtulantes.

Cur diem mortis ſanctorum celebremus.

Memoria ſanctorum.

Idem.

Innocentum memoria ſemper vt dignum eſt

celebratur in Ecclesiis, secundum integrum ordinem sanctorum, vt primorum Martyrum pro domino occisorum, & vt ipsa Bethleem primitias domino Martyrum, in qua natus est ipse saluator obtulisse videatur. Bene ergo & secundum voluntatem dei eorum memoriam sancti patres celebrari mandarunt sempiternam in Ecclesiis, velut pro domino morientium: velut pro Gentibus & Iudæis credituris, vel etiam pro ipsis parentibus, quorum parentes præ nimio dolore vt diximus percutiebantur, vt eis intercessio filiorum apud deum plurimum pro fuisset.

Homel. 3 in diuersos. Memoria sanctorum Innocentiũ semper obseruata in Ecclesiis.

Idem.

O beate Iob viuens in perpetuum apud deum & victor permanens in conspectu regis domini, ora pro nobis miseris: vt etiam nos terribilis dei misericordia protegat in omnibus tribulationibus, & eripiat ab omnibus oppresionibus maligni, & connumeret nos cum iustis, & conscribat nos cum his qui salui fiunt, & requiescere nos faciat cum illis in regno suo, vbi perpetuo cum sanctis magnificemus illum.

lib. 2. in Iob Oratio ad S. Iob.

Idem.

Incipiam me genibus prosternere, & deprecari vniuersos sanctos: vt mihi non audenti petere Deum, propter nimietatem peccati succurrãt. O sancti dei, vos lachrymis & fletu pleno dolore deprecor vt ꝓcidatis misericordiis eius ꝓ me misero. Et quibusdam interiectis. Hei mihi pater Abrahã deprecare ꝓ me ne de finib⁹ tuis

In Threnis. Origenes Vniuersos sanctos deprecatur.

aliener quos valde cupiui, nec condigne quidẽ propter ingens peccatum meum,

S. POTAMIANA ORIGENIS *discipula & Martyr.*

Vide cap. 5. lib. 6. hist. Ecclesiast. Eusebij Caesarien.

Potamiana moritura dixit Basilidi carnifici. Certus esto quod cum abiero ad dominum meum, sine mora boni huius tibi remunerationem parabo. Haud diu verò postea Basilides, cum à commilitibus, ob quandam causam iuramentũ posceretur, affirmauit sibi prorsus non licere vt iuret: esse enim se Christianum, idque se differte confiteri. Putabatur initio ludere, vbi vero constanter affirmabat, ducitur ad iudicem & cum idem confestim esset confessus, vinculis traditur. Cum autem fratres in domino ad ipsum venissent, & de causa subitæ huius & admirandæ mutationis percontrarentur, fertur illis narrasse, quomodo Potamiana triduo post martyrium nocte sibi astiterit, coronámque capiti suo imposuerit, ac dixerit interpellasse se pro ipso dominum, ac petita impetrasse: nec diu postea futurum vt assumatur. Hisce dictis, & obsignaculo domini à fratribus accepto, sequenti die Martyrium domini capite truncatus sustinuit. Scribunt autem & alios plures Alexandrinos illis temporibus cumulate ad Christi venisse doctrinam, eo quod Potamiana in somnis apparuisset, & ad fidem eos vocasset.

S. Potamiana Martyr orat pro Basilide.

Signum crucis.

S. ANTERVS PAPA ET MARtyr *anno 239. floruit.*

Ex li. Pontificali Damasi Papa.

Hic gesta Martyrum, diligenter exquisiuit, & in Ec-

& in Ecclesia recondidit: propter quod à quodam maximo prꝑfecto martyr effectus est.

S. FABIANVS PAPA ET MARtyr vixit anno 242.

Septem subdiacones ordinauimus, qui septem notariis imminerent, & gesta martyrum veraciter in integrum colligerent, nobisque rimanda manifestarunt. Quod etiam vos omnes agere monemus, ne in posterum aliqua ex his dubitatio fiat, quęstioque oriatur: quoniam omnia quæ scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.

in Epist. decretali. 1.

Gesta martyrum olim à subdiaconibus collecta.

CLEMENS ALEXANDRINVS *floruit 200 anno.*

Quomodo lanæ quæ indita mansit tinctura, in reliquas quoque lanas proprietatem transmittit & mutationem: ita etiam in anima transit quidem labor, manet autem quod est bonum & honestum: & quod iucũdum quidem est relinquitur, quod turpe autem est abstergitur. Hæ sunt enim qualitates, quæ vtrique animæ formam & caracterem tribuunt: ex quibus vna quidẽ cognoscitur glorificata, altera vero condamnata. Certe si Mosi ex iusta operatione, & ex ea quę continẽter ei intercedebat cum Deo loquente consuetudine, vultui insidebat glorificata quædam coloris species: ita etiam iustæ animæ diuina quædam vis bonitatis inhærens per inspectionem, prophetiam, & administrantem operationem, quasi intelligentis illuminationis, proinde atque caloris solaris im-

li. 6. stromatum.

Quæ qualitates animæ cõdamnatæ, & quæ glorificatæ.

Mosis lucida facies, sãctorum gloriam confirmat.

Charitas sãctorum.

primit quoddam apertum iustitiæ signaculum lucem animæ vnitam per charitatem, quæ nullo spatio disiungitur, quæ Deo afflat, & deo afflatur. Hinc quæ seruatori Deo fit assimilatio, exoritur ei qui est cognitione præditus, quidem euasit perfectus, quantum licet humanæ naturæ, sicut pater inquit qui est in cœlis. Ipse est qui dixit: filioli adhuc parum sum vobiscum. Nam Deus quoque non quatenus est natura bonus, ea ratione manet beatus, & ab interitu alienus: neque habens negotij aliquid neque alij exhibens, proprie autem bona faciens. Cum verò Deus & pater bonus, & versetur in continua beneficentia, in eadem bonitate ita permanet, vt nunquam ab ea digrediatur: quis est enim boni vsus, quod neque operatur, neque bono afficit? Qui ergo primum suis moderatus est animi motibus, & vt impatibilis euadat est meditatus, & creuit ad beneficentiam cognitione præditę perfectionis, est hic quidem ęqualis Angelis: iam autem lucidus & tanquam sol resplẽdens per beneficentiam.

Sancti Deo assimilantur in beneficentia.

Math.5.

Io.13.

Sancti sunt in nos munifici.

Illatio.

Si igitur qui æquales sunt Angelis Dei, relucent per beneficentiam, vt sol inferiori sibi globo beneficus: & Deus in omnes vberrime munificus est, necnon & Christus seruator: sancti autem in cælo & Angelis æquantur iuxta Christi verbum & Deo sunt propinquiores: charitate sanè nec destituuntur, immo & vberiore replentur, & beneficentia feracissimi sunt. Quod si sancti omnes beneficentiam exer-

cent, vtique in eos qui ea egent, Quis igitur illos in cœlo viatoribus prodesse negabit?

S. MARGARETA VIRGO ET *martyr passa est circa hæc tempora.*

O mundi præclare opifex, dignare precantem
Ante obitum dono hoc animam, bonitatis ab alto
Aequore, ab ingenti pelago pietatis in orbem.
Aeternus fluat hic scatebris, cursuque perenni
Riuus: vt ad nostrum quisquis confugerit olim
Subsidium, votis semper felicibus oret
Atque meis vacua nunquam prece surgat ab aris.

Moritura hanc fudit orationẽ vt legitur ĩ eius agone quem Baptista Mãtuanus descripsit.

S. CORNELIVS PAPA ET MARtyr *sedit anno 255.*

Rogo vos congratulari, quia rogatu cuiusdam deuotæ fœmina, atque nobilissimæ matronæ Lucinæ leuata sunt corpora Apostolorum Petri & Pauli de Catacumbis. Et primo quidem beati Pauli corpus leuatum silentio, positum est in prædio prædictæ matronæ, via Ostiensi ad latus vbi decollatus est. Postea verò beati Apostolorum principis Petri accepimus corpus, & condecenter posuimus illud iuxta locũ, vbi crucifixus est inter corpora sanctorum Episcoporum, in templo Apollinis, in mõte aureo in Vaticano palatij Neroniani, 3. calẽdarum Iuliarum die: orantes Deum & dominũ nostrum Iesum Christum, vt intercedẽtibus suis sanctis

Vide Epist. eius primam in qua tractat de trãslatione corporũ sancti Petri & Pauli

Sanctorum intercessione Deus purgat peccata.

Apoſtolis, maculas veſtrorum purget peccatorum, & in ſua vos conſeruet voluntate diebus vitæ veſtræ, & in fructu boni operis vos perſeuerabiles reddat.

S. CYPRIANVS EPISCOPVS *& Martyr Vixit anno 260.*

l.1. Epiſt.1. ad Ceciliũ. Votũ deceſſuri ex hac vita.

Si quis hinc noſtrum prior diuinæ dignationis celeritate præceſſerit, perſeueret apud Deum noſtra dilectio pro fratribus, & ſororibus noſtris, apud miſericordiam patris non ceſſet oratio.

Idem.

l.4. Epiſt.6. ad Presbyteros & Diaconos. Feſtiuitates ſanctorũ celebrandæ.

Dies quibus fideles per tormenta excedunt annotatæ in commemorationes eorum, inter memorias martyrum celebrare poſſumus. Tertullus ſignificet mihi dies quibus in carcere beati fratres noſtri ad immortalitatem glorioſæ mortis exitu tranſeunt: & celebrentur hic à nobis oblationes & ſacrificia ob commemorationes eorum, quæ cito vobiſcum domino proſperante celebrabimus.

Idem.

l.4. epiſt.20 ad Presbyt. & diaconos, & vniuerſã plebem.

Sacrificia pro eis, (Celerina Laurentio & Ignatio) ſemper vt meminiſtis offerimus, quoties martyrum paſsiones & dies anniuerſaria commemoratione celebramus..

Miſſa in memoriam martyrũ ſer. de ſtella & Magis. S. Innocẽtes martyres vt

Idem.

Innocentes in ordine ſanctorum prothomartyres primum habent locum, & ſecretorũ conſcij diuinorum propinquitate familiariſsima, clementiam Dei pro noſtris exorant labori-

bus: quos vſque hodie funeſtus Herodes perſequitur, quorum ſanguine & morte Diabolus delectatur. Hi itaque à cunabulis in cœlum tranſlati, facti ſunt ſuperni capitolij ſenatores & iudices, nonnullis veniam obtinentes immeritis: aſsiſtuntque vltionibus & miſerationibus diuinis: ſed ſæpius Agni, quem quocunque ierit proſequuntur, manſuetudine, quam ira vel furore vtuntur.

agnũ ſequuntur, ita pro nobis intercedunt.

S. METHODIVS VRBIS CYRI

Epiſcopus & martyr moritur anno 255.

Quicquid fuerit in Eccleſiis ſanctorum, ſiue aurum vel argentum, ſiue lapides precioſi, & omnia ornamenta earum & indumenta etiam ſacrata vel præclara, & ferrũ & metalla & eſcę omnes & quicquid precioſum eſt illorum erit, (infidelium in vltimis temporibus). Et diſtribuent myſteria Dei, & exaltabitur cor eorum vſque adeò vt mortuos appetant, ſecundum æqualitatem virorum: ſimiliter autem ex pupillis, & viduis, & ex ſacratis locis eſcas exigentes, & non miſerebuntur inopi & pauperi.

l. reuelationũ ſuarum.
Impietas in ſanctorũ delubra, capſas ornamenta.
En in quæ tempora incidimus.

ARNOBIVS PRESBYTER VIxit anno 300.

Opportunum tempus interueniẽdi pro ſeruo eſt, quando ſeruus emẽdatur. Nos ergo damus opportunum tẽpus ſanctis, orandi pro peccatis noſtris quando à peccato recedimus.

Pſal. 31.

S. MARIA AEGYPTIACA

vixit circa annum 300.

Vide Paulũ Diaconum Neapolit. in vita S. Mariæ Aegypt. & S. Ioan. Damas. l. 3. Apolog. pro imaginibus.

Oratio S. Mariæ Aegyptiacæ ad D. Virginẽ matrem.

Cum Diuæ Virginis imaginem animaduertiſſem hanc effudi orationem. Domina virgo ſancta Maria, quæ Deum verum ſecũdum carnem genuiſti ſcio nec conſonum nec opportunum eſſe me ſic peccatis contaminatam, totq; adeò ſordibus profligatæ luxuriæ ſcalentem, cõtemplari tuam vnius ſemper virginis imaginem. Quin iuſtum potius eſt, vt tuæ iſti tantæ puritati exoſa ſim habearque execrabilis. Veruntamen quãdo Deus qui ex te natus, ob hoc factus homo eſt, vt peccatores vocaret ad pœnitentiam, mihi ſolitariæ, nec quicquam aliud præſidij habenti fer opem. Iubeto tua vnius indulgentia adaperiri mihi ingreſſum, vt ne defrauder viſione ſancti ligni, cui ſecundum carnem affixus eſt Deus verbũ, quem genuiſti, qui ſanguinem proprium in pretium dedit pro mea redẽptione. Iube ô domina mihi ianuã adaperiri, vt admirabile lignũ S. Crucis adorẽ. Ei qui ex te natus eſt do ego te digniſsimã, quæ pro me fide iubeas nunquã me in poſterũ carnẽ hãc cõtaminaturã. *Alia eiuſdem oratio.*

Gratiarum actio ad D. Virginem Mariam.

Tu quidem ô amantiſsima bonitatis domina, tuam erga me clemẽtiam & benignitatem declaraſti. Supplicationem indignæ famulæ tuæ non es abominata. Vidi gloriam quam iuſte nõ merebamur videre omni genere flagitiorũ contaminata. Gloria omnipotenti Deo, qui per te ſuſcipit peccatorum pœnitentiam. Quid am-

plius peccatrix & misera valeo recordari aut enarrare? Nunc vbi tibi complacet dirige me. Esto mihi salutis ductrix, & veritatis magistra, p̄cedens me in viam quæ ducit ad pœnitentiam.

CONSTANTINVS MAGNVS

Imperator anno 316.

Interrogare cæpimus Syluestrum vtrum ipsorum Apostolorum (Petri & Pauli) imaginē expressam haberet, vt ex pictura disceremus hoc esse, quod reuelatio docuerat. Tunc idem venerabilis pater imagines eorundem Apostolorū, per diaconum suum exhiberi præcepit. *In confessione suæ fidei. Imagines Petri & Pauli.*

Idem Constantinus.

Notum esse volumus omnibus Christū pie colentibus beatum Petrum Apostolum à deo nobis datū pastorem & principem summo studio venerari velle asiduè, & maxime in hac die calendarum Augustarum (in quo vt deū vos me adorare soliti eratis) vt ipse pi⁹ pastor precibus ad deum fusis, nos & imperium nostrum adiuuare dignetur. Valete *In decreto quod per orbem vniuersam misit: vt Hierony. ad Eustochium tractatu Petri vinculis testatur.*

S. ANTONIVS MAGNVS ABBAS

anno 320.

Nosse etiam vos cupio filioli quamplurimum dolorem meum, quem habeo pro vobis, aspiciens grandem illam confusionem, quæ super vniuersos aduenit: & considerans multū illū laborē sanctorū omniū atque gemitū, quē emittunt pro vobis semper ad deū: cernentes laborem proprij cōditoris, omnesq; malitias paruipendentes, necnō & decipulas diaboli, & Angelorū eius insidiātiū iuges ad p̄ditionē nostrā. *Epist. 2. ad Arsenoitas Sancti pro nobis semper orant.*

Idem.

Epist. 3. Nunquid Patriarchæ non paſsi ſunt pro nobis,aut ſacerdotesnon docuerũt nos?Nunquid Prophetæ pro nobis mortui non ſunt ? Aut Apoſtoli perſecutionem non ſuſtinuerunt pro nobis?Nunquid filius dei dilectus,non pro nobis omnibus mortuus eſt?

Vtique quia eorum dum patierentur merita in nos redũdãt.

CONCILIVM GANGRENSE *anno* 324.

Refertur hic canon dist. 30.can. si quis per ſuperbiam.

Excommunicandi Hagiomachi.

Si quis ſuperbiæ vſus affectu , tanquam perfectum ſe exiſtimans , conuentus qui per loca & baſilicas ſanctorum martyrum fiunt, vel accuſauerit,vel etiam oblationes quę ibidem celebrãtur ſpernendas eſſe crediderit,memorias quoque ſanctorum contemnendas eſſe duxerit,anathema ſit.

CONCILIVM CARTHAGINENſe *primum anno* 330.

Cap. 2. Martyrum dignitatem nemo prophanus infamet, neque ad paſsiua corpora , quæ ſepulturæ tantum propter miſericordiam Eccleſiaſticam commendari mandatum eſt,redigat:vt aut inſania præcipitatos, aut aliquo tali pacto , aut alia ratione peccati diſiunctos,non ratione vel tempore competenti quo martyria celebrantur, Martyrum nomine appellet . At ſi quis ad iniuriam Martyrum , claritati eorum adiungat infamiam placet eos qui laici ſunt ad pœnitentiam redigi.Si autem ſunt clerici, poſt commonitionem & poſt cognitionem honore priuari. Vniuerſi dixerũt Recte ſtabilit ſanctitas veſtra.hoc

Non eſt infamanda Martyrum dignitas.

& in ſingulis conciliis ſtatutum eſt.

ASTERIVS AMAZÆÆ EPISCO-*pus vixit circa hæc tempora.* *Ecphraſi in Euphemiam Martyrem.*

Chriſticolæ eius loci vbi ſancta virgo (Euphemia) quieſcit, capſulam in qua ſacrum corpus continetur ſoliti ſunt in aſpectum oſtendere, ipſamque martyrem laudare, ac feſtum eius annuum frequenti populi conuentu ſolenniter celebrare. *Capſula S. Euphemiæ in aſpectum pop. oſtenſa.*

EVSEBIVS PAMPHILI EPISCO-*pus Cæſarienſis vixit anno.* 330.

Polycarpo in ignis medio ferro transfoſſo, ſuggeſſerunt nonnulli Nicetę patri Herodis, ac fratri Dalces, vt proconſulem moneret, ne corpus illud traderet: ne Chriſto, inquit, relicto hunc colere incipiant. Et hoc dixerunt Iudęis ſubmonentibus & vrgentibus, qui etiam nos obſeruabant, ne ex igne illum eriperemus: ignorantes nos nec Chriſtum vnquam relinquere, qui pro totius ſeruandorum mundi ſalute paſſus eſt, nec alium quempiam colere poſſe. Nam hunc quidem tanquam filium dei adoramus, Martyres verò tanquam diſcipulos, & imitatores domini digne propter inſuperabilem in regem ipſorum ac præceptorem beneuolétiam diligimus, quorum & nos conſortes & diſcipulos fieri optamus. Cum ergo Centurio contentionem Iudæorum cerneret, poſitum corpus in medio ſicut mos ipſis eſt, combuſſerunt: atque ita nos tandem oſſa illius, precioſis lapidibus precioſiora nacti condidimus, vbi id fieri decebat: vbi *lib. 4. hiſt. Eccle. c. 16.* *Chriſtiani licet ſanctos venerentur non tamen Chriſtum relinquunt.* *Quomodo ſancti honorantur, & quomodo Chriſtus.* *Oſſa S. Polycarpi collecta.*

Festum S. Polycarpi. etiam quoad fieri poteſt, congregatis cum exultatione &gaudio dominus natalem Martyris ſui diem, cum ad memoriam eorum qui antea certarunt, ac futurorum exercitationem ac pręparationem celebrare largietur.

Idem.

lib 6 hiſt. Eccleſ. c. 11. Peregrinatio ad Hieroſolymæ loca l. 11. c. 57 Alexander Cappadox Epiſcopus Hieroſolymã adorandi & ſanctorum locorum videndi gratia properauerat.

Idem.

Altaria Martyrum. l. 4. de vita Conſtãtini. Imperator Theodoſius ante Martyrum & Apoſtolorum thecas, iacebat cilicio proſtratus, & auxilia ſibi fieri ſanctorum interceſsione poſtulabat.

Idem.

Feſtiuitates ſanctorum Conſtãtinus obſeruauit. Singularum gentium pręſidibus lex data eſt(à Conſtantino: (vt ſimili modo dominicam diem, ſecundum nutum Imperatoris venerarentur, Quin & Martyrum dies honorabant, & feſtorum tempora Eccleſiis decernebant, fiebantque huiuſmodi omnia ſecundum Imperatoris placitum.

S. DOROTHÆVS MARTYR
vixit anno 332.

In ſynopſi Reliquiæ S. Lucæ Andreæ & Timoth. tranſlata. Epheſi mortuus ac ſepultus eſt S. Lucas, ac tandem vna cum Andræa & Thimothæo Apoſtolis, temporibus Conſtantij regis filij Conſtantini magni Conſtantinopolim tranſlatus.

Idem.

Sepulcrum Martyris munimentum eſt. Cæmeterium Eunuchi Candacis reginæ Æthyopum, quem dicunt glorioſum martyriũ tuliſſe,

munimentum insuperabile est fidelibus, Barbaros sceleſtos fugans, morbos pellens, & ſanationes operans vſque in hodiernum diem.

S. ATHANASIVS EPISCOPVS *Alexandrinus vixit anno* 334.

Iſta noua Eua maria, mater vitæ appellatur, variegataque permanet ad primitias vitæ immortalis omnium viuentium. Dicimus eam igitur iterum, atque iterum, & ſemper & vndequaq; beatiſsimam. Sicuti ergo cum ad ipſum reſpicimus, regem dominum & deum appellamus: ita quoque cum ad eam oculos reiicimus, reginam dominam, & deiparam eſſe animaduertimus, id que contemplatione oculi mentalis. Adeſt regina à dextris tuis, veſtitu deaurato circumamicta, variegata. Et iam ſcilicet audi filia Dauidis & Abrahæ, & inclina aurem tuam in preces noſtras & ne obliuiſcaris populi tui, neque noſtri, qui ſumus de familia & domo patris tui. Decet enim te matrem, regeneratricem, dominam, ac heram cognominari: eo quod ex te prodiit rex dominus ac deus noſter: aſsiſtentem illi nobis quidem terribili, tibi autem dulci, omnemque gratiam largienti. Qua de cauſa factum eſt vt gratia plena appellata ſis, vtpote quæ in omni gratia abundares, idque per ſuperuentum in te ſpiritus ſancti. Ideóque vultum tuum deprecantur omnes diuites plebis, ditari ſcilicet iſtiuſmodi bonis, & ſpiritualibus contemplationibus. Ad te clamamus, recordare noſtri ſanctiſsima virgo, quæ etiam

In Euange. de ſanctiſſ. deipara.

S. Mariæ tituli.

Beatiſſima
Regna
Domina
Deipara
Mater

Regeneratrix
Hera

Gratia plena.
Lucæ 1.
Omnes deprecãtur D. Mariam virginem.

Sanctiſſima Virgo.

à partu virgo permansisti: & retribue nobis pro exiguis istis eloquiis, magna dona ex diuitiis tuarum gratiarum, tu quæ gratia plena es: nam ideo his vocibus, vt ex reipsa desumptis, & natura laudatoriis, præcipue in tuum encomium vtimur, si quando hymnus, si quando laus tibi, siue à nobis, siue ab vniuersa creatura aufertur. Tibi inquam gratiosæ dominæ nostræ, reginæ, heræ, matri dei, arcæ sanctuarij. Ecce iam nunc & in exordio diei, vt primitias laudis tibi hoc encomium Archangelus contexit dicens: Aue gratia plena dominus tecum. Beatam te prædicant omnes Angelorum & terrestrium Hierarchię, & Hierarchicas manus attolentes benedicunt tibi, quæ & in cœlis benediceris, & in terris beata prædicaris, Benedicta tu in mulieribus & benedictus fructus ventris tui. *Et quibusdam interiectis addit.* Ab istis deinde nos hierarchię terrestres, exaltationes dei in gutture ferentes, siue quod didicimus, siue quod mutuo hæc verba sumpserimus, exaltamus te magna & canora voce dicentes: Aue gratiosa, dominus tecum intercede hera, & domina, & regina, & mater dei pro nobis. Quoniam ex nobis tu oriunda es, & is qui editus est ex te, carnigerus deus noster est: quem decet gloria & magnificentia omnisque honor, &c. Amen.

Ab vniuersa creatura laus D. Virgini Mariæ offertur.

Maria dicitur gratiosa Mater Dei. Arca sanctuarij.

Didicimus ab Angelis S. Virginem Mariā laudare.

IOANNES CLYMACVS VIXIT *anno* 346.

4. gradu. Mortuo Abakiro monacho, iustus pastor fecit eum tanquam dignum confessorem, collocari

cum ſanctis qui in monaſterio quieſcunt.

Idem.

Monaſterium eſt quoddam cœlum terrenum, & ideo eo affectu & reuerentia qua credimus Angelos miniſtrare deo, miniſtremus & nos fratribus noſtris. *Ibidem.*

Idem.

Expirauit ſolitarius qui habitabat in Choreb: Nos verò ſepeliuimus eum cum reuerentia in propinquo monaſterio caſtri. Die vero ſequenti quęrentes eius reliquias nihil inuenimus. *Gradu 6.*

Idem.

Dæmones non ſolum blaſphemant in deum & ſanctos, ſed etiam immittunt cordi inhoneſta, vt dimittamus orationem. *Gradu 23.*

S. MACARIVS ÆGYPTIVS

vixit anno 350.

Si quid aberret anima cum contumelia atque ignominia afficitur, ac velut inutilis, miniméque cõueniens ſocietati regis cœleſtis vita priuatur: tandem illa triſtitia mœrore ac luctu cum omnibus ſanctis, ac ſpiritibus intellectualibus conficitur. Angeli, poteſtates, Apoſtoli, Prophetæ atque martyres lugent eius cauſa. Quemadmodum enim gaudium eſt in cœlo, vt inquit dominus, ſuper vno peccatore pœnitentiam agente: Ita triſtitia multa eſt & luctus in cœlo, propter vnam animam ab æterna vita cadentem. Et ſicut in hoc ſeculo cum diues obierit, cum cantu lugubri, lamentatione & planctu effertur à vita per ſuos fratres, amicos, cognatos *Homil. 15.* *Omnes ſancti peccatoribus compatiuntur.* *Luc. 15. b.*

& familiares: ita propter eam animam omnes sancti lugent & lamentantur, ac voces lugubres emittunt. Atque hoc alibi subindicat scriptura dicens, Cecidit pinus, lugete cedri.

Zach. 11. a

Idem.

Homel. 14. Viuificamur per sanctorum conuersationem.

Deus verbo suo cælesti purificans nos, & mentes mortuas & corruptas per bonam ipsorum Apostolorum conuersationem atque doctrinam suscitat, & viuificat. Nam creatura fouet & viuificat alteram creaturam: quemadmodum semina frumenti atque hordei fouentur à nubibus, quæ tamen sunt creaturæ. Item pluuia & sol viuificant ea quæ sibi mandata fuerint.

S. PETRVS ALEXANDRINVS

vixit anno 350.

Literis suis ad Episcop. Catholicos de scientia Lucij crudelitate apud Alexandriam.

O immensam prętoris & iudicis, ac potius condemnatoris inhumanitatem? Qui pro pietate decertarunt sancti Martyres, ne homicidis quidem, corporibus eorum sepultura carentibus, conferuntur. Qui bonum peregere certamen, feris & volucribus esca proiiciuntur.

Illatio.

Arriani impij in Martyrum corpora.

Hæc flens sanctissimus ille Pater in diuinos Martyros execranda Arrianorum apud Alexandriam flagitia deplorabat. Nos vero cur non idem hisce tēpestatibus lugeamus, quibus impurissimi hagiomachi Martyrum primorum thecas confregerunt, surripuerunt, sanctorúmque Martyrum reliquias aut cōcremarunt, aut in fluentes alueos deiecerunt?

S. HILARIVS EPISCOPVS PICtauorum vixit anno 360.

Omnium sanctorum fidelis oratio clamor est deo, fide enim ad eum non vocis clamore clamatur. Moses instante Ægyptiorum rege mœstus stabat in littore, sed tacente licet eo, excelsæ mentis fidelem orationem dominus audiuit: dicens, quid proclamas ad me? Martyrum quoque sanguis voce corporis caret, sed indignitas necis eorum deo clamor est: ipso domino de Abel ad Cayn dicente: vox sanguinis fratris tui clamat ad me. Sic & sub ara dei Martyrum animæ proclamare scribuntur, magna voce dicentes: Quousque dominus sanctus & verus, non iudicas & vindicas sanguinem nostrum de habitantibus in terra? Sic tacens licet oratio nostra deo clamor est.

Enarrat in Psal. 140.

Sanctorum sanguis ad deũ clamat.

Genes. 4.

Apoc. 6. c.

S. APOLLO ASCETA vixit anno 363.

Apollo ille vidisse se retulit quasdam reuelationes. Vidit enim suum fratrem natu maximum defunctum qui ipse quoque fuerat consummatus in solitudine, & ipso pulchro vitæ instituto eum superauerat, cum quo ipse longo quoque tempore vixit in solitudine. Videbatur ergo eum videre sedentem in eodem throno cum Apostolis: cum & reliquisset suarum virtutum hæreditatem, & sic pro ipso intercedebat deum rogans, vt velox esset eius translatio.

Palladius refert in histor. Patrum sanctorum.

Frater defunctus orat in cœlo pro fratre hic viuente.

S. OPTATVS MILEVITANVS

vixit anno 366.

lib. 3. in Parmenianum.

Hagiomachi Donatistæ suos vocabãt Martyres.

1. Cor. 13.

Sancti in cælo Charitate suos agnoscunt.

Quod ô Donatistæ dicitis vestræ sectæ homines mortuos debere appellari Martyres : quia noluerunt fratres agnoscere, nullam habuerũt charitatem, sine qua nullum nec nominari potest vel esse martyrium: sine qua maxima & imperiosa virtus caret effectu, sine qua nihil valet & omnis scientia linguarum, sine qua nihil potest & societas Angelorum: Apostolo Paulo dicente. Si habeam in me potestatem imperandi montibus, vt transferant se de locis in loca, & loquar omnium gentium linguis, etiam Angelorum, & corpus meum flammis tradam, & charitatem in me non habeam, nihil sum. Sed ero æramentum tinniens vt in deserto vt pereat vocis opus, vbi nullus occurrit auditus. Si tanta res, si beatus Paulus, si vas electionis, quã uis in imperiosa virtute & Angelorum pronunciat se nihil esse nisi charitatem habuerit: Videte vt non dicantur Martyres donatistæ.

Illatio.

Cum igitur nihil poßit Angelorum societas, nihil corporis ob fidem exustio sine charitate, etiam ea vt Optatus determinat, qua fratres agnoscamus, fateantur omnes ea quoque sanctos excellere, nisi vanam eorum fœlicitatem esse contendant, ad instar tinnientis in deserto cymbalæ. Nos igitur illi amant, nos agnoscunt, & pro nobis, vt membra pro membris, curam patrocinij apud Deum impendunt.

Sanctus

S. FOELIX PAPA ET *Martyr sedit anno 370.*

Perturbatores Ecclesiæ non solum prædicta agunt mala, sed & memorias martyrum execrantur. Quapropter in nostra constituimus synodo, vobisque & omnibus Ecclesiis tenendum & agendum mandamus, vt super memorias martyrum missæ celebrentur, ne memoriæ eorum à talibus extingui, aut veneratio possit prohiberi.

In epist. decret. 2. ad episc per gal. prouincias constitutos.

Missæ super memo. mart.

S. BASILIVS MAGNVS EPIscopus Cæsariensis vixit anno 371.

Sanctissimæ & intemeratæ dominatricis nostræ, Dei genitricis, & semper virginis Mariæ, cum omnibus sanctis memorãtes: nos ipsos & ad inuicem atque omnem vitam nostram Christo Deo commendemus.

In Liturgia. Memo.). Mariæ & omniũ sanctorum in missa.

Idem.

Sanctifica animas nostras & corpora, & da nobis in sanctitates deseruire tibi omnib9 diebus nostris, intercessionibus sanctæ De genitricis, & omnium sanctorum qui à seculo glorificauerunt te.

Ibidem.

Idem.

Præcipue sanctæ, & intemeratæ, benedictæ, dominatricis nostræ dei genitricis, & semper virginis Mariæ, sancti Ioãnis præcursoris & Baptistæ, sancti N. illius cuius memoriam facimus & omnium sanctorum tuorum, quorum postulationibus visita nos: & memento omnium dormientium in spe resurrectionis æternæ.

Ibidem.

Idem.

Ho. in Gordium Martyrem. Quemadmodum solem semper intuentes semper admiramur, sic etiam beati Gordij martyris memoriam semper recentem habemus. In *Psal.* memoria enim æterna erit iustus, & apud eos *Memo. sanctorũ æterna* qui in terra sunt donec terra est, & in cœlis & apud Iudicem iustum, cui gloria & imperium in secula seculorum. Amen.

Idem.

ho. in sanctos 40. marty. Martyrum memoriæ, quæ satietas esse potest ei, qui martyres amore prosequitur? Propterea *Honor sanctorũ redundat in Deũ.* quod honor quem bonis cõseruis exhibemus, beneuolentiæ erga communem Dominum significationem præ se præbet. Manifestum est enim quod is qui generosos viros amore complectitur, in similibus temporis imitatione inferior non erit.

Idem.

Ibidem. Hi quadraginta martyres sunt, qui nostram re- *Marty. 40. turres sũt in aduersarios.* gionem administrant, & velut turres quędam cohęrentes, securitatem ab hostium incursu exhibent: non vno loco seipsos concludentes, sed multis iam locis hospites facti, & multas patrias exornantes: & quod mirum est, non singulatim diuisi ad suscipiẽtes accedunt, sed inter se permixti vnice tripudiant. O nouum miraculum, neque deficiunt numero, neque redundant. Quanti laboris fuit vt vnum aliquem *Plures orant pro nobis in cœlo.* reperires, qui pro te dominum placaret? quadraginta iam sunt, concordem orationem sursum mittentes. Vbi duo aut tres cõgregati sunt

in nomine Domini, illic est in medio ipsorum: *Matt.18.*
vbi autē quadraginta, quis de dei pręsentia dubitat? Qui tribulatur, ad quadraginta confugit, qui lętatur ad ipsos decurrit. Ille vt molestiarū solutionē reperiat, hic vt res secundę ipsi conseruentur. Hic mulier pia pro liberis orans deprehenditur, itemque peregrinanti marito reditum, ac infirmo salutem petens. Cum martyribus fiant preces vestrę, adolescentes coætaneos imitentur, patres talium filiorum patres esse optent, matres bonę matris exemplum discant.

Quot hominū species ad 40. Marty. recurrebant. Læti. Tribulati. Mulier sterilis. Adolescētes Patres. Matres.

Idem ad eosdem.

O chorus sanctus, ô sacer ordo, ô constipatum & infractum agmen, ô communes generis humani custodes, boni curarum socij, orationis cooperatores, legati potentisimi, stellę terrarum orbis, Ecclesiarum flores. Vos non terra occuluit, sed cœlum suscepit, apertę sunt vobis paradysi portæ. Dignū spectaculum exercitui Angelorum, dignum Patriarchis, Prophetis & iustis.

Varij sanctorū tituli.

Quandoquidem in maxima festiuitate hodie martyrum memoriā celebramus, omnis mens erecta, omnis auris pręparata, & dignū quid ipso martyre audire gestiens, etiā ipso circa martyrem desiderio Ecclesiam allicit. Itaque qui in loco hoc constituti ipsum auxiliarium in orationē habuerūt, quibus nomine vocatus vt opꝫ ribus astitit, quos ex peregrinatione reduxit, quos ex infirmitate erexit, quibus libros iā vita

hom. in sanctū Martyrē Mamantem.

Qui auxiliariū mamantem habuerūt Peregrini īfirmi ex.

citati à mortuis quorū vitæ tēpus prorogatum est. functos restituit, quibus præfinitum vitæ tempus prorogauit. Hæc omnia vbi mihi collegistis, ex communi collatione encomium facite, mutuo inter vos distribuite, quæ quisq; nouit ei qui nō nouit, & qui ignorat à gnaro accipiet.

Idem.

I. quest. diffuse explicatarū quest. 40. Nūdinationes illicitæ ī locis vbi martyres colūtur & de illorū diebus festis. Sic neque quæ in locis vbi martyres coluntur, fiunt mercimonia nobis conuenire ratio ostendit. Non enim alterius alicuius rei gratia in martyriis aut locis circa ipsa apparere decet Christianos quam orationis causa, vt ad recordationes constantiæ sanctorum pro pietate vsque ad mortem progressi ad similem æmulationem impellantur.

Idem.

Ad Iulianum Apostatam: idem effertur in 2. cōcil. Nicæ. actione. 4 Sanctam Mariam, quæ secundum carnem Christū peperit suscipio & sanctos Apostolos, prophetas & martyres qui pro me apud deum supplicant, quo per illorum mediationem propitius sit mihi deus noster benignissimus & remissionem peccatorum mihi gratis largiatur. Demum agit de illorum imaginibus.

S. CYRILLVS IEROSOLYMITANVS floruit anno 373.

Catech. 14. 4. Reg. 13. Impossibile dicet aliquis mortuos resurgere. Attamen Helisæus mortuum bis excitauit, & viuens & mortuus. Si credimus quod Helysæum cum esset mortuus, attigit mortuus & resurrexit: Christus autem à mortuis non excitatus est? *Idem.*

Venientem Giezi interrogat Helisæus, simili-

ter atque Petrus Ananiam dicens: Dic mihi si tanti ager venundatus est? Sic ille interrogat quanuis non ignorasset vnde Giezi. Receperat à Naaman pecunias, & in obscuro illa occultauit: sed neque in tenebris quicquam occultatur sanctis.

Catech. 16. Nihil sanctis occultatur.

Idem.

Cum hoc sacrificium offerimus, postea facimus mẽtionem etiam eorum, qui ante nos obdormierunt. Primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, vt Deus orationibus illorum, & deprecationibus suscipiat preces nostras.

Catech. Mystago. 5. memo. sanctorũ in missa.

S. GREGORIVS NYSSENVS *vixit anno 374.*

Anima quidẽ Theodori martyris ex quo sublimis abiit in loco suo acquiescit, & corpore soluta cũ sui similibus vna viuit: corpus verò venerandum & immaculatum illius instrumentũ quod suis vitiis & affectibus illius inhabitãtis incorruptibilitatẽ non læsit, cũ multo honore & cultu compositũ atque ornatum augusto sacroque loco sitũ est: quod veluti res chara, magniq; ęstimata atque recõdita in tẽpus regenerationis reseruatur, multis singularibus & eximiis rebus pręditũ: ꝓpter quas ad alia corpora quę cõmuni ac vulgari morte dissoluta sunt, ne comparandũ quidem est, idque in simili materia naturę. Nã cęterę quidẽ reliquię etiã abominabiles plerisq; sunt: ac nemo lubẽter sepulcrũ pręterit, aut si inopinato apertũ offendit,

Orat. in sanctum Theodorum martyrem.

Corpus martyris Theodori venerandum reseruatur.

Aliud sepulcrum cuiusuis hominis, aliud sãctorũ reliquiæ.

deformitate nimirum earum rerũ quæ inibi iacent, faciem aperiens omni iniucũditate repletus, & humanæ naturę conditioni grauiter ingemiſcens prętercurrit. Quod ſi venerit ad aliquem locum huic ſimilẽ, vbi hodie noſter conuentus habetur, vbi memoria iuſti, ſanctęq; reliquię ſunt, primum quidem earum rerum magnificentia, quas videt, oblectatur, dũ ędem vt templum dei & magnitudine ſtructurę, & adiecti ornatus decore ſplẽdide elaboratum intuetur, & cupit deinceps etiam ipſi cõditorio appropinquare, ſanctificationem ac benedictionem cõtrectationem eius eſſe credẽs. Quod ſi quis etiã puluerem quo cõditoriũ, vbi martyris corpus quieſcit, obſitũ eſt, auferre permittat: pro munere puluis accipitur, ac tãquam res magni precij condenda terra colligitur. Nã ipſas attingere reliquias, ſi quãdo aliqua eiuſmodi ꝓſpera fortuna cõtingat, vt id facere liceat, quam id ſit multũ deſiderãdum & optãdum, ac ſummarũ precum donũ ſciunt experti, & eius deſiderij cõpotes facti. Quaſi corpus enim per ſe viuens & florens, qui intuentur amplectuntur oculis, ori, auribus, omnibus ſenſuũ inſtrumentis adhibẽtes. Deinde officij & affectionis martyri quaſi integer eſſet & appareret, ſuperfundẽtes, vt prò ipſis deprecator accedat, ſupplices preces afferunt, tanquam ſatellitem dei orantes, quaſi accipientem dona cum velit inuocantes.

Benedictio contactu reliquiarum.

Puluis ſanctorum pro munere.

Reliquiæ tẽpore S. Baſilij adhibebãtur oculis, ori, auribus et omnibus ſenſuũ organis.

Idem.

Ibid. 25. Nobis Theodorus martyr memoriã certami-

nis pro doctrina reliquit, populos congregans, Ecclesiã erudiens, dæmonas arcens & fugans, Angelos pacificos reducens, rogans à Deo pro nobis vtilia, variorum morborũ medicinæ officinam hunc locum efficiens, portum eorum qui afflictionum tempestatibus iactantur, pauperum abundans & copiosum ærarium, viatorum quietum diuersorium, locũ celebrẽ cõuentus ac dies festos continenter agentium.

Theodorus Martyr rogat à Deo vtilia pro nobis.

Festi dies.

ORATIO GREG. NYSSENI AD *S. Theodorum.*

Tu verò huc iam ades ad nos, vbicunq; tandem fueris, vt diei festo præsis. Vocantẽ enim te cõtra vocamus: ac siue in sublimi æthere habitas, siue per cælestem aliquem circulũ verśaris, aut in choros Angelorum coaptatus domino adsistis, aut cum virtutibus & potestatibus, vt seruus fidelis adorationis officio fungeris, parumper ab iis officiis vocationem deprecans veni ad hos qui te honorant inuisibilis amicus, cognosce ac vise ferias quæ celebrãtur. Timemus afflictiones, expectamus pericula, nõ longe absunt scelesti Scythæ bellũ aduersum nos parturiẽtes. Vt miles ꝓpugna ꝓ nobis, vt Martyr ꝓ conseruis vtere libertate loquẽdi. Etiãsi superasti seculum, at nosti affectus & vsus necessitatésq; humanæ conditionis. Pete pacẽ, vt hi publici conuentus non desinant: ne debacchetur atque grassetur aduersus tẽpla altaria-ve rabiosus & sceleratus Barbarus: ne conculcet sancta ꝓphanus & impius. Nos enim etiã quod inco-

Sancti amici nostri sunt

Sãcti norũt afflictiones nostras.

Agnoscenda sanctorũ beneficia.

lumes & integri conseruati sumus, tibi beneficium acceptum referimus. Petimus autem etiam futuri temporis præsidium atque securitatem. Quod si maiori etiam opus fuerit aduocatione ac deprecatione, fratrum tuorum martyrum coge chorum: & cum omnibus vna deprecare. Multorum iustorum preces multitudinũ ac populorum peccata luant. Admone Petrum, excita Paulum, Ioannem item Theologum ac discipulum dilectum, vt pro Ecclesiis quas constituerunt solliciti sint, pro quibus catenas gestauerunt, pro quibus pericula ac mortes tulerunt, ne simulacrorum cultor aduersus nos caput tollat, ne hæreses sicut spinæ vineæ succrescant, ne zizanium editum suffocet triticum, ne qua petra veri roris pinguedine carẽs aduersum nos existat, & sermonis ac verbi fœlicitatis vim radicis expertem efficiat: sed virtute tuę sociorumque tuorum deprecationis, ô vir admirande, atque inter Martyres eminens & excellens, Christianorum respublica campus segetum reddatur, qui campus ad finem vsque maneat in pingui fertilique aruo fidei in Christum qui viuit, &c. Amen.

Excitandi S. Apostoli. Quid petendum à sanctis.

S. GREGORIVS EPISCOPVS

Nanzanzenus vixit anno 378.

In suis carminibus ita sanctis. Mariã affatur.

O filia celestis (Maria) & interius gloriosa,
O magnis choris assistens regnatoris
Cantoribus, & si te corpus & terra continet
Huc ades, & fare verbum: ego vero ante te
Stabo, quippe enim mihi diuino munere venisti
regina.

Venisti, sed magis adhuc venias, & propitia sis.

Idem sic orat S. Athanasium.

Cæterum Athanasi ô amicum & sacrum caput, quod & sermonis & silentij mensuram inter reliqua tua bona excellenter honorasti, hic nobis sermonem siste. Qui si veritate fuit minor, non tamen viribus meis inferior. Tu autem è supernis propitius nos respice, & populum sanctum dirige sanctæ trinitatis adoratorem, & nos in pace foue & compasce. In certamine autem dirige & suscipe & cum teipso statue & iis qui tales sunt, vt tu, etiam si magna sit petitio in ipso Christo domino nostro, cui omnis gloria, honor & potentia in secula, Amen. *Orat. 25. in S. Athanas. Oratio ad S. Athanasium.*

Idem sic S. Basilium precatur.

Hoc tibi ô magne Basili extremum munus post annos octo quibus Ecclesiæ præfuisti obtuli. Quod si prope ad meritas tuas laudes dicendas accessi, tu mihi in te speranti hanc gratiam redde. Si vero valde infra votum contigit, veniam & seni & valetudinario, & ob tuam mortem attonito dabis. Tu obiter è cælo nos respice, & datam mihi renum debilitatem, ac articulorum dolorem vel iube discedere, vel adiuua: & hortare ita me æquo ferre animo, vt hinc demum discedentem me in æterna tabernacula recipias, & beatam trinitatem eo quo est modo, tecũ pariter contemplari valeam. *Monodia in Basilij magni vitam. Oratio ad S. Basilium*

Eiusdem ad D. Cyprianum oratio.

Tu tandem Cypriane nos ab alto propitius respice, nostrúmq; sermonem ac vitam dirige, & *Orat. 19. in S. Cyprianum.*

ſanctum ouile hoc paſce, aut vna rege, ac reliqua quantum poſsibile eſt ad meliora diſpone, moleſtoſq; lupos ſyllabarum & verborum venatores abige, ac ſanctę trinitatis cui nunc aſtas ſplendorem nobis perfectiorem, & clariorem gratificare.

Eiuſdem ad S. Gorgoniam ſororem.

Orat. 9. in funere ſororis ſuæ Gorgoniæ. Sancti reſciſcunt preces noſtras.

Scio (ô Gorgonia) omnibus frui te rebus, quibus carebas in terra. Proinde ſi noſtri ſermones vel parumper tibi curę ſunt, honorque talis ſanctis à Deo habetur animabus, vt talia reſciſcant, ſuſcipe & tu ſermonem noſtrum, præ funebribus multis, & ante multos, quem Cæſario ante te, & tibi iam poſt illum tribuimus, pariter enim tam fratri quam ſorori parentauimus.

Idem.

Orat. 16 de paupertate fouenda.

Veritatis Martyribus feſta inſtauramus, vt cum eorum certamina veneramur, eorum quoque pietatem imitemur.

Idem.

Num ęgre laturi eſſemus, ſi Martyrum priuaremur reliquiis? *Idem.*

Orat. 19. in Cyprianum Feſtiuitates ſanctorum.

Proinde omnibus Martyribus feſtiuitates ſunt peragendæ, omnibúſque prompte & lingua, & intellectus, & auditus, & intellectus aperiẽdus, tam illis qui de iſtis aliquid dicunt quam qui audiuit, omniaquè minora quam illorum putãda ſunt certamina.

Hæc habes apud D. Greg. Nazan. or. 19.

S. Iuſtina Virgo & Martyr anno 250. vixit

Virgo autem quædã (iuſtina) cum ſe à tentatore circũueniri videret, vt Cypriani libidini ac-

quieſceret:omnibus aliis omiſsis ad Deum con fugit ac ſponſum ſuum contra cupidinem exe- crandã protectorẽ facit: Virginẽ quoq; Mariã rogauit vt periclitanti virgini opem ferret. *Virgo orat D. Virginẽ Mariam.*

S. EVSEBIVS EMISSENVS

vixit anno 350.

Dum pro Iudæis ſtephanus ſupplicat,ſpem noſtram ac fiduciam nutrit:nam dum pro perſecutoribus deprecatur,manifeſta cultoribus ſuffragia pollicetur.De ipſo beatiſsimo teſte, viſionis fide veridica reuelatio teſtatur,vt locum reliquiarum mira iocunditas, anhelantibus roſis & croco olenti vel florulento rore gratię vernalis infunderet,& tanquã de paradyſo ſpirans aura reſpergeret. *Idem.* *Homel. de ſancto Stephano.*

Indigenarum martyrum cultus & honor ſpecialium patronorum,ſicut peculiare dat gaudium ita proprium requirit affectum. *Ho. de ſanctis Marty. Epiphodio & Alexãdro.*

Ibidem.

Duplicia itaq; Epiphodij & Alexandri trophea, Eccleſiæ noſtræ fides interiecta bidui vel tridui diſtinctione concelebrat,non aduentitiis feſta reliquiis, ſed intemeratis patrij ſinus feſta monumentis. Plurimæ autem populorum Eccleſiæ etiam illa ſanctificatione contentæ ſunt, quam de Angelicis membris ſacri amictus, vel duri catenarum nexus contingendo rapuerint: vt quod fuit inſtrumentum pœnę,ſit glorię teſtimonium & dolorum materia tranſeat ad inſigne meritorum. Nos vero beatorum illuſtre munus totum pari integrũ poſsidemus:& quod *Duplicia feſta Martyrum.* *Reliquiarũ honor & cõtactus.*

Sancti suffragatores. vniuerso mundo posit sufficere, intra gremium ciuitatis huius specialiter conclusum tenemus,& geminas palmas triumphi ęmulas Apostolici verbi attollimus: atque habentes & nos Petrum Paulúmque nostrum binos suffragatores, cum sublimi illa sede certamus. Et quidē *Puluis preciosus Martyrum.* beati Martyres, quorum preciosus puluis per diuersas vsquequaque regiones in populorum disseminatur salutem, plenum quocunque loci cultum de ho[illegible]re dei impensa sibi religione suscipiunt.

Idem.

Ho. de natali sancti Genesii. Fideles populi peculiarius exultantes, de perpetui propugnatoris Genesij auxilio, ferunt ad tumulum vota, de tumulo votorum referunt gaudia. *Vota ad tumulum martyrü.* Pulsant hi precibus, respondet ille virtutibus: vincuntur per quotidiana Martyris beneficia alumnæ vrbis obsequia. Vnde merito in prosperis colunt, quem præsentem in periculis *Cultus patroni.* cognouerunt. frequentibus itaque tribulationibus approbarunt, quantum apud deum possit proprius suffragator.

Idem.

Homil. de sancta Blādina. Dilacerata vario tormentorum genere membra sanctificant flammæ, dum pascere nesciūt: honorant bestiæ, dum sæuire non norunt. Vbi sunt qui dicūt venerationem sacris Martyrum *Reliquias etiam belluæ honorarunt.* deferendam non esse corporibus? Ecce cruentæ feritatis immanitas, quę religionis non recipit sensum defert venerationis obsequium, &c.

Ibidem.

Adorandas reliquias Rhodano tradis,hoc facit vis fluminis in corporis resolutione quod temporis.

Reliquiæ adorandæ.

S. AMPHILOCHIVS EPISCOPVS *Iconij floruit anno* 380.

Audiens Gregorius Nanzanzenus defuncti Basilij corpus honorifice duci in sanctam Ecclesiam,& ipse aduenit, & videns honorificum corpus cecidit super illud. Et lamentans multum ad orationem hortabatur populum in hymnis, & canticis spiritualibus, cum decenti honore magni sacerdotis gloriosam memoriam facere.Simúlque concurrentibus duodecim Episcopis & multitudine ciuitatis, deposuerunt eum in archarismum marmoreum, in templo sancti & gloriosi Martyris Hesychij, vbi & Leontius ante eum Episcopus,cum cæteris dormit.

In vita S. Basilij.

Memoria sancti cum hominis.

SANCTVS ONVPHRIVS *vixisse videtur anno* 381.

Hęc est postulatio mea(dicebat Onuphrius moriens ad Paphnuciū)quam impetraui à domino deo. Si quis oblationē ob amorē nominis mei ante conspectū domini nostri Iesu Christi immolat:ab omni tentatione diaboli,& à vinculo prauitatis humanæ liber existit,atque cum sanctis Angelis in regno cœlorum æternæ hæreditatis capax fiet. Si quis oblationem non valet offerre,vel præ inopia redimere: ille pro amore meo in nomine domini Eleemosynam pauperi tribuat, & ego orabo pro eo in conspectu

Ex Vitis sanctorum patrum.

Missa in memoriam alicuius sancti.

Dei, vt dignus cęleſtibus vita ſuperna perfrui valeat. Si quis oblationem nec eleemoſynam poteſt offerre, pro charitate mea incenſum domino deo noſtro in odorem ſuauitatis accendat: & ego rogo pro eo vt gaudium perenne poſsideat. Si quis pauper in deſerto, vel in alio aliquo loco oblationem, aut eleemoſynam vel incenſum nō habet ad immolandum, ſurgat & manus ſuas ad dominum extendat: ter dominicam orationem, Pater noſter, pro me cum intenta mēte, & in nomine ſanctæ trinitatis pſallar. Ego verò pro ipſo ad dominum intercedo, vt vitæ cęleſtis mereatur particeps fieri cum omnibus ſanctis Dei.

S. PAPHNVCIVS
vixit anno 382.

In vita S. Onuphrij. Beneficia præſtantur in ſepulcro S. Paphnucij.

Sanctus Onufrius obiit menſe Iunio die vndecima id eſt, tertio idus eiuſdem menſis. Ibi (in ſpelunca in qua ſepultus eſt) beneficia eius pręſtantur vſque in pręſentem diem, ad laudem & gloriam domini noſtri Ieſu Chriſti, cui eſt honor & poteſtas in ſecula ſeculorum.

S. MAXIMVS CONFESSOR ET
Martyr vixit anno 382.

Centuria prima de virtute & vitio numero. 35. Sancti nos ſibi colligāt.

Charitatis cauſa ſancti omnes reſtiterunt aduerſus peccatum, nulla præſentis vitę facta mentione: varióſque mortis modos pertulerunt, vt ab hoc mundo ad ſeipſos, & ad deum colligerentur, & naturæ fracturas in ſeipſis vnirent. Hæc eſt enim vera & reprehenſione carens fidelium diuina ſapientia, cuius finis eſt ipſum bonū

ac veritas, si modo bonum est quod hominem diligit: & verum, quod secundum fidem amans est Dei: ac (quę sunt charitatis indicia) homines deo & inter se conciliat, ideoque habet perseuerantiam in bonis minime labentem.

Effectus ac demonstratio perfectę dilectionis erga deum, est germana per beneuolentiã spontaneam erga proximum affectio. Qui enim nõ diligit fratrem suum quem videt, inquit diuus Ioannes, deum quem non videt non potest diligere. *Nume. 36.* *1. Ioan. 4.d*

Illatio.

Ex his sane aperte liquet sanctos in cœlo nos diligere, nec gloriam illam immarcescibilem illorum in nos pium affectum impedire: alioquin nec deum diligere dicerentur.

S. EFFREM ARCHIDIACONVS
Edessenus vixit anno 383.

Precamur beatissimi martyres qui pro domino saluatore, proque illius charitate sponte & impigre tormenta subiistis, atque ideo familiarius domino coniuncti estis, vt pro nobis miseris & peccatoribus, & negligentiæ squalore sordentibus dominum interpellare dignemini, vt superueniat in nos gratia Christi, quæ corda nostra radio sanctę claritatis illustret, vt ipsum toto corde diligere possimus. Vos nempe vere beati atque gloriosi estis, quos Angeli & homines pari consensu beatos prædicant. *Sermone de Martyrib°.* *Oratio ad S. Martyres.*

Et post pauca idem eos sic orat.

Nunc igitur ô beatissimi viri, ô gloriosissimi martyres dei, me miserum vestris iuuate precibus, vt in illa hora misericordiam consequar, quando manifesta erunt occulta hominum.

EIVSDEM S. EFFREM AD SANctiss. dei matrem Oratio.

Oratio S. Effrem ad D. virginem Mariam. Vide quot epitheta & tituli S. Virginis mariæ.

Intemerata prorsúsque pura virgo deipara, regina omnium, spesque desperantium, domina mea gloriosissima eademque optima, sublimior cœlicolis, purior solis radiis & splendoribus, honoratior Cherubin & polyommatis, id est, multoculis spiritibus, sanctior Seraphin & nulla comparatione cæteris omnibus superis exercitibus gloriosior, spes patrum, gloria Prophetarum, Apostolorum præconium, & honor martyrum, sanctorum lætitia, & lumen studiosorũ, Abraham, Isaac, & Iacob, decus Aaron, Mosis, & Gedeon vellus, Hierarcharum cætus, & omnium sanctorum ac virginum corona, ob fulgorem inaccessa. Acerra aurea, lucerna micantissima, vrna cœli manna gestans, tabula scriptam legem ferens mortalibus, arca vera, charta diuinissima, omnium princeps, circumspecta & lucifera virgo, consolatio, sanctissima, & omnium dux, sacratissima puella: O rube incombuste, & patens prædium, & viridans Aaron illius virga. Virga profecto extitisti, & flos filius tuus, è radice Dauid & Salomonis germinauit Christus noster creator, Deus & dominus omnipotens, altissimus & solus, Tu quo ad corpus

Deum

Deum & verbũ genuiſti, virgo ante partũ, virgo in partu, virgo poſt partũ. Claues nõ excuſſit Deus creator tuus in tuo virginis vtero, abſque ſemine carnem indutus, te ô celeberrima talem perſeuerãs, qualis extiteras ante partum. Per te reconciliati ſumus Chriſto Deo meo, filio tuo. Tu peccantium & auxilio deſtitutorum adiutrix, Tu portus procella vexatorum, ſolatium mundi, carcere clauſorum liberatrix celeberrima. Tu orphanorum ſuſceptio, tu captiuorum redemptio, tu egrotãtium exultatio, & omnium ſalus. Tu ſolitariorum ſtabilimẽtum, & ſpes mundanorum. Tu virginum decus, corona & gaudium. Tu mundi lætitia ô Domina princeps, Regina præſtantiſsima, perquam benedicta, puella veneranda, dominarum domina puriſsima. Sub alis tuis cuſtodi me & protege. Miſerere mei qui ſum luto inquinatus, qui ſceleribus quãplurimis creatorem Deum meũ & iudicem offendi, ne aduerſus me glorietur, ſatanas exitioſiſsimus, ne in me exurgat execrandus inimicus meus, ne ſeruum tuum à tui ſpe deſtitui cognoſcã, ne calũnietur me detractantium lingua. Non mihi alia fiducia ô virgo ſyncera. Ex vlnis equidem maternis tibi domina mea deditus ſum miſerabilis, & cliens tuus vocatus ſum, ne maleuolus ſatanas me ad infernas portas abducat. Tu enim meus portus, ô virgo inuiolata, & preſes auxiliatrix. Denique ſub tutela & protectione tua totus ſum. Crebris lachrymis te ô celeberrima mater im-

Miſericordia à D. virgine expetitur.

S. Virgo maria portus eſt pœnitẽtium.

ploro, & aduoluor tibi ô domina mea suppliciter clamans, vt dulcissimus filius tuus, & vitæ omnium dator ob multa, quæ patraui scelera, tollat me de medio, & miseram animam ceu leo, diripiat, vel velut sterilem ficum infœlicem me excidat. Sed obsecro, vt Christum meum adeam, & subeam aulas illas beatorum, vbi non sunt lachrymę, non vexatio, non molestia, non mors, non tormenta, non locorum angustiæ, sed lætitia inexhausta,, voluptas iustorum, deliciæ & exultatio, gloria & splēdor. Imple os meum gratia dulcedinis tuæ. Illumina mentem ô gratia plena. Moue linguam meam & labia ad laudes tibi alacri & læto animo canendas, & melos illud Angelicum celebratissimum quod

Luc.1. Gabriel in Nazareth, seruili habitu ad te virginem & matrem Dei mei integerrimam clamans cecinit, salutationem maximè congruam

Dignare me laudare te virgo sacrata. & dignissimam, mundi salutem, cunctamque animarum tutelam. Dignare virgo te tuum seruum laudare & dicere: Aue Dei splendidissimum & luculentissimum vas, aue domina Maria gratiæ plena, aue in mulieribus virgo beatissima, aue stella fulgentissima, ex qua Christus prodiit: Aue illustrissima lux, mater & virgo, aue quæ mirifice regem omnium peperisti, aue per quam nobis sol pręclarissimus illuxit, aue domina cunctis sublimior, aue canticum Cherubin, & hymnus Angelorum: aue pax, gaudium, & salus mundi, aue generis humani lætitia, aue patrum pręconium, & pro-

phetarum decus, aue martyrum pulchritudo, & corona sanctorum, aue piorum gloria, & in solitudine degentium hymnus, aue pręclarissimum hierarcharum cœlestium ornamentum, aue hymni graphorum omnium oratio, aue pręstantissimum orbis terræ miraculum, aue terrigenarum omnium delectatio, aue paradise delitiarum, & immortalitatis, aue lignum vitæ, gaudium & voluptas, aue vallum fidelium, & mundi salus, aue tranquille portus & à fluctibus agitatorum liberatrix, aue nostra periclitantinm auxiliatrix, aue progenitoris illius Adam resurrectio, aue iucunda libertas, aue omnium parens, aue fons gratiæ & consolationis, aue refugium peccatorum & hospitum, aue propitiatorium laborantium, aue refugium in Hierosolymis, aue throne mei creatoris gloriosissime, aue æui splendor illustrissime & micantissime, aue spes omnium proborum, aduersis casibus afflictorum, aue conuersorum refugium, aue virorum iuxta mulierumque regina & tutela, aue mundi mediatrix gloriosissima, aue vniuersi terrarum orbis cõciliatrix, aue domina sceptrũ fidelibus tuis imperans, aue gloria & lætitia omnium sacerdotum, aue virgo solatium solitariorũ, aue porta cœlorũ ascensus omniũ, aue referamentũ portarũ paradisi, aue quę mœrores sedasti, adornatrix omniũ, aue eadẽ quę leniisti oppressorum molestiam, aue clauis cœlorũ & regni Christi,

aue portus optimè huius vitæ nautarum, aue animæ meę ſpes bona & fida, aue Chriſtianorum omnium firma, ſalus, aue lumen præfulgens, quo mundus illuſtratur, aue mater Chriſti filij Dei viui, aue noſtra genitorum protectio luculenta & gloria, aue quæ nullo ſpatio comprehenſum in finibus comprehendiſti, aue quæ Chriſtũ vitæ datorem educaſti, Chriſtũ pientiſsimum omniũ creatorem, Deum, Ieſum meũ dulcem, altorem mundi, hominum amantiſsimum, omnipotentem patrem meum, cui competit gloria, honor & poteſtas in ſecula, laus & magnificentia, cũ ęterno patre, & ſpiritu ſancto nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum.

Apoſtrophe ad deum vt iungtur precibus omniũ ſanctorum.

Precibus Dei genitricis ſemper virginis & exercitus cœleſtium, ac cœtus angelorum Cherubin, Seraphin, Prophetarum, martyrum, hieracharum, ſanctorum ſtudioſorum interceſsionibus, & omniũ beatorum ſupplicationibus, miſerere tuæ creaturæ Deus mi clementiſsime. A dexteris in hora iudicij colloca humiles ſeruos tuos, ne ô domine vitæ auctor ad opera quæ nos mortales legem pręuaricati commiſimus aſpexeris, quin potius aſpexeris ad mitiſsimam humanitatem & miſericordiam tuam. Amen.

S. PALLADIVS VIXIT *anno* 390.

In Lauciace hiſt. cap. 67

Cum videret præſes Philemonem martyrem & eos qui cum ipſo fuere à fide non poſſe dimoueri iuſsit proiici, in profundũ maris. Hoc autem fuit eis ſignum baptiſmatis. Cum eos au

tem ſui inueniſſent deſiectos in littore, *fecerunt omnibus ædem vnam, vbi nunc multæ virtutes peraguntur.* Tanta autẽ fuit viri gratia vt de iis quę eſſet precatus ſtatim exaudiretur, cum ſic honoráte ſeruatore. *Quem etiam nos in martyrio precati vidimus*, cum iis qui cum ipſo fuerunt teſtificati. & Deum adorãtes eorum tabernacula ſalutauimus in Thebaide. *In æde martyrum multæ virtutes fiunt.*

Idem.

Philocormus pedeſtri itinere venit Romã vſque, *ad orandum in martyrio ſanctorum Petri & Pauli* Peruenit autem vſque ad Alexandriam, *cum veniſſet in martyrium venerandi athletæ Marci.* Dignus autem, inquit, ſum habitus qui voti gratia, bis *propriis pedibus venirem Hieroſolymã ad honoranda loca ſancta*, & ipſe mihi ſuppeditaui impenſas. *cap. 113. Vouere venire in martyrium & ædem ſacrã alicuius ſancti. Peregrinatio in Hieruſalem.*

S. AGAPETVS ANACHORETA

Cum Abbate ſuo vixit anno 390.

S. Eufroſina ſponſa Chriſti & filia ſanctorum, ne obliuiſcaris ſeruorum tuorum, & huius monaſterij, *ſed ora pro nobis ad dominum* noſtrum Ieſum Chriſtum, vt faciat viriliter certando venire ad portum ſalutis, & portionem ſecum habere & cum omnibus ſanctis ſuis. *In Vitis Patrum de S. Eufroſina. Oratio ad S. Eufroſinam.*

S. AMBROSIVS MEDIOLAnenſis *Archiepiſcopus floruit anno Domini 390.*

Rogauerunt pro vidua Petrus & Andreas. Vtinam exiſtat aliquis qui tam cito poſſit rogare, pro nobis, vel certe iſte qui pro ſocru rogat Pe *Libro de Viduis.*

Ab eo quod discipuli pro socru Petri rogauerunt, conuincitur sanctorum intercessio.

trus & andreas frater eius. Tunc enim pro affinitate poterant, nunc iam possunt pro nobis & pro omnibus impetrare. Videtis enim quod magno peccato obnoxia, minus idonea sit quæ pro se precetur certe quæ pro se impetret. Adhibeat igitur ad medicum alios precatores. Aegri enim nisi ad eos aliorum precibus fuerit imitatus pro se rogare non possunt. Infirma est caro, mens ægra est, & peccatorum vinculis impedita, ad medici illius sedem debile non potest explicare vestigium. *Obsecrandi sunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præsidium dati sunt, martyres obsecrandi,* quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vendicare. Posint pro peccatis rogare nostris, qui qui proprio sanguine, etiam si qua habuerunt peccata, lauerunt. Isti enim sunt dei martyres, nostri præsules, speculatores vitæ, actuumque nostrorum. *Non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere,* quia ipsi infirmitatem corporis, etiam cum viuerent cognouerunt.

Martyres obsecrandi sunt.

Sãcti intercessores sunt.

Idem.

Oratione nebri de obitu fratris sui Satyri.

Para frater hospiti consortium, & quemadmodum hic omnia nobis fuere communia, ita illic quoque ius diuiduum nesciamus. Ne quæso cupientem tui diu deferas, properantem expecta, festinantem adiuua, & si diutius morari videbor accersi.

Oratio ad S. satyrum. Orat. de fide resurrectionis.

Idem.

Quid enim mihi superest solatij, quã quod me

citius ad te frater ſpero venturum; nec digreſſus tui inter nos longa diuortia fore, tuis interceſsionibus mihi hoc poſſe conferri, vt citius deſiderantem tui aduoces?

Idem.

Iam veniamus ad Auguſti corporis tranſmiſsionem fles Honori germen auguſtum, & lachrymis pium teſtificaris affectum, quod non vſque Conſtantinopolim reuerendas patris Theodoſij reliquias ipſe proſequeris. Eadem tibi cauſa nobiſcū eſt, omnes iuſto dolore proſequimur: omnes ſi fieri poſſet deductores tecum eſſe cuperemus. Sed Ioſeph ad finitimam acceſsit prouinciam corpus patris proſequuturus. Hic multa interiacent regionū diuortia, hic maria tranſfretanda ſunt, Nec hoc quidē tibi laborioſum, niſi te teneret reſpublica. *Orat. de obitu Theodoſii Imper. Theodoſii Reliquia reuerendæ.*

Idem.

Nos crucifiximus (inquiunt Iudæi) quem reges adorant. Quem non adoramus ipſi adorant. *Ecce & clauus in honore eſt*, & quem ad mortem impreſsimus, remedium ſalutis eſt, atque inuiſibili quadam poteſtate dæmones torquet. *In eadem oratione. Clauus Christi in honore, & remedium eſt.*

Idem.

Cuncti Martyres deuotiſsime percolendi ſunt, ſed ſpecialiter ij venerandi ſunt à nobis quorum reliquias poſsidemus. Illi enim nos orationibus adiuuant, iſti etiam adiuuant paſsione. Cum his autem nobis familiaritas eſt. Semper enim nobiſcum ſunt, nobiſcum morantur, *Serm. 77. de natali ſanctorum Octauij, Aduenticij, & ſolutoris Tauricorū. Reliquiarū virtus.*

Sanctorum intercessio & cura de nobis. hoc est & in corpore nos viuentes custodiunt, & de corpore recedentes excipiunt. Hic ne peccatorum nos labes absumat, ibi ne inferni horror inuadat. Nã ideo hoc à maioribus pro- *Cur corpore contingimus sanctorum reliquias.* uisum est, vt sanctorum ossibus corpora nostra sociemus, vt dum illos tartarus metuit, nos pœna non tangat: dum illis Christus illuminat, nobis caligo tenebrarum diffugiat. Cum sanctis ergo Martyribus quiescentes, euadimus inferi *Matt. 16.* tenebras, eorum propriis meritis, attamen consocij sanctitate. Ait enim dominus Petro: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portę inferi non prępualebunt ei. *Petro non præualet inferni porta.* Si ergo Apostolo & Martyri Petro inferni porta non præualet: quisquis sociatur Martyri, tartaro non tenetur. Martyres enim infirmi porta non possidet, quoniam eos paradysi regna suscipiunt. Cernimus enim ab iis frequenter ob- *Martyribus cedunt Dæmones.* sessos immundissimis dæmonibus homines liberari, ita vt cęlesti medicina & captiua anima de diaboli laqueis eruatur, & ipse diabolus vinculis igneis alligatus producatur de sua captiuitate captiuus, vt qui prædam paulo ante cæperat ipse subdatur in prædam. hec & alia potiora mirabilia fieri per sanctos omnibus notum *Sancti defensores sunt.* est. *Et ideo fratres veneremur eos in seculo*, quos defensores habere possumus in futuro.

Idem.

Sermo. 91. de inuentione corporum sanctorum Quia fidelium celebritatem inuidis animis Arriani ferre non possunt, causam celebritatis odere. Atque amentię intantum prodeunt, vt nę

gent Martyrum merita, quorum opera, etiam dæmones confitentur. Sed hoc non mirum: Si quidem tanta eſt incredulorum perfidia vt tollerabilior ſit diaboli confeſsio. Dicebat enim diabolus: Ieſu fili dei noui quid veniſti ante tempus torquere nos? Et cum hæc audirent Iudæi, ipſi tamen dei filium denegabant. Et nunc audiſtis clamantes dæmones, & confitentes Martyribus quod pœnas ferre non poſsint & dicentes: Quid veniſtis vt ante tempus nos tam grauiter torqueatis? Et Arriani dicunt. Nõ ſunt iſti Martyres nec torquere diabolum poſſunt nec aliquem liberare, cum tormenta dæmonũ ipſorum voce probentur, & beneficia Martyrum remediis cæcorum & abſolutorum iudiciis declarentur. Negant cæcum illuminatum beneficio Martyrum, ſed ille non negat ſe ſanatum. Ille dicit. Video qui nõ videbam. ille dicit, cæcus eſſe deſini & probat facto. Iſti beneficium negant, qui factum negare non poſſunt. *Et poſt pauca.* Si Martyribus inuident, oſtendunt alterius fidei fuiſſe Martyres quam ipſi credunt. Neque enim aliter eorum operibus inuiderent niſi fidem in his fuiſſe eam quam iſti non habent, indicarent. Fidem illam maiorum traditione firmatam, quam dæmones ipſi negare non poſſunt: ſed Arriani negant.

Geruaſii & Prothaſii. *Arriani negabant Martyrum merita.* *Matt. 8.* *Dæmonibus peiores Arriani & Hagiomachi.* *Ioan. 9.* *Cur quis inuidet Martyribus.*

Dicebat Diabolus, vt ſcriptum legimus: Scio te quis ſis. Tu es filius dei viui. Dicebant Iudæi: neſcimus quis ſit. Dicebant hodie, & ſuperiore die vel nocte dæmones: Scimus quia Martyres

Iudæis conferũtur Arriani & Hagiomachi, necnon Dæmonibus.

estis.Et Atriani dicunt:nescimus, nolumus intelligere,nolumus credere. Dicunt dæmones Martyribus, venistis perdere nos. Arriani dicunt:Non sunt dæmonum vera tormenta, sed ficta & composita ludibria.

Idem.

Et vt efficax sit hæc mea deprecatio beatæ Mariç virginis suffragia peto,Apostolorum intercessionem imploro, Martyrum preces deposco,confessorumque orationes expostulo.Talium domine deus preces nunquam spernis, si vt pro me exorent ipse inspiraueris.

Idem.

Epist.contra Maxentiũ de tradenda basilica. Helisæus quęrebatur à rege Syriæ, & vidit Angelorum millia. Aduertistis ergo quod famulos Christi hi magis custodiant qui non videntur,quam qui videntur. Sed & illi qui custodiunt,nostris costodiunt orationibus aduocati.

S. HESYCHIVS PRESBYTER *vixit anno* 400.

lib. 6.in Leuit.c. 23. *Comprehensor Viatore peritior.* Et non quidem omnem scientiam quam habituri sumus,quando ad ipsum deum venerimus, tradit verbum prædicationis: sunt autem quæ relinquit,vtpote quæ nunc nobis reuelari non possunt. *Illatio.*

Quod si perfectior est sanctis in cælo scientia, quam vllis qui hic sunt viatoribus: Prophetis autem hoc in mundo etiam absentia nosse indultum est, cur non idem & comprehensoribus?

CONCILIVM CARTHAGINENSE *quintum anno* 404.

Placuit vt altaria quæ paſsim per agros aut vias tanquam memoriæ martyrum conſtituuntur, in quibus nullum corpus aut reliquiæ Martyrum conditæ probantur, ab Epiſcopis qui eiſdem locis præſunt. ſi fieri poteſt, euertantur. Si autem hoc propter tumultus populares non ſinitur, plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequentẽt, vt qui recte ſapiunt, nulla ibi ſuperſtitione teneantur deuincti. Et omnino nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, niſi aut ibi corpus, aut aliquæ certę reliqæ ſint. *Cap. 14. Altaria dedicanda conditis in eis Martyrũ reliquiis.*

S. NECTARIVS ARCHIEPISCOpus Conſtantinopolitanus vixit anno 404.

Is ſic orat S. Theodorum Martyrem.

O Martyrum ſplendor, ſanctorumque pulchritudo, ô dei vere donum, o cuſtos & propugnator Chriſtianorum inuictiſsime, te etiam atque etiam rogamus, vt noſtræ inopiæ, humilitatiſq; ne obliuiſci velis, nec vnquam defatigari pro nobis precando. Te enim etiam poſt mortem viuere credimus, quemadmodum dominus ait, Qui in me credit etiam ſi mortuus fuerit viuet. Tu verò qui non ſimpliciter, omninoque credidiſti, ſed pro eo etiam mortem perpeſſus es, Martyr laude digniſsime apud deum, vitã quæ ſenio & fine caret degis. Cum ergo apud Chriſtum viuas, eique ſis proximus tuis cum precibus ſeruis tuis placa, vt præſidio beneficióque tuo his tot ac tantis malis liberati, bonis tandẽ cęleſtibus perfruamur, domini noſtri Ieſu Chriſti gratia & humanitate, cui & nunc & ſemper poteſtas & gloria tribuatur. Amen. *Homel. in S. Theodorũ Martyrem.* *Oratio ad S. Theodorũ Martyrem.*

Epigramma in Iacobum magistrum equitum.

CLAVDIVS CLAVDIANVS POEta vixit anno 406.

Per Cineres Pauli, per cani limina Petri,
Ne laceres Versus dux Iacobe meos.
Sic tua pro clypeo defendat pectora Thomas,
Et comes ad bellum Bartholomaeus eat.
Sic ope sanctorum non barbarus irruat Alpes,
Sic tibi det vires sancta Susanna suas.
Sic quicunque ferox gelidum tranauerit Istrum,
Mergatur, volucres ceu Pharaonis equi.

Votum per sanctorum praesidia.

S. HIERONYMVS PRESBYTER scripsit anno 410.

Tomo. 2 epist. in Vigilantium ad Riparium.

Vigilantij exprobratio eadem quae omniū Hagiomachorū.

Hagiomachi Iudaei sunt, & Samaritani.

Acceptis primum literis tuis, non respondere, superbię est: respondere, temeritatis. De his enim rebus interrogás, quas & proferre & audire sacrilegium est. Ais vigilantium qui per antiphrasin hoc vocatur nomine, Nam dormitantius rectius diceretur, ob fetidum rursus aperire & putorem spurcissimum, contra sanctorum martyrum proferre reliquias, & nos qui eas suscipimus appellare cinerarios & idololatras; qui mortuorum hominum ossa veneremur. O infelicem hominem, & omni lachrymarum fonte plangendum: qui hęc dicens non se dicat esse Samaritanum & Iudaeum, qui corpora mortuorum, pro immundis habent & etiam vasa quae in eadem domo fuerint, pollui suspicantur: sequentes occidentem literam, & non viuificantem spiritum. Nos autem non dico Martyrum reliquias, sed ne solem quidem, & lunā, non angelos, non archangelos, non cherubim,

Ioan. 6.

Aliud honorare sanctos & coriū

non seraphim, & omne nomen quod & in prę senti nominatur seculo & in futuro, colimus & adoramus: vt seruiamus creaturę potius quã creatori, qui est benedictus in secula. Honoramus autem reliquias martyrum, vt eum cuius sunt martyres adoremus. honoramus seruos, vt honor seruorum redundet ad dominum, qui ait. Qui vos suscipit, me suscipit. Ergo Petri & Pauli immundę sunt reliquiæ? Ergo Moysi corpusculum immundum erit: quod iuxta hebraicam veritatem ab ipso sepultum est Domino? Et quotiescunque Apostolorum & Prophetarum, & omnium Martyrum basilicas ingredimur, toties idolorum templa veneramur? Accensique ante tumulos eorum cerei, idolatriæ insignia sunt? Plus aliquid dicam, quod redundet in autoris caput: & insanum cerebrum vel sanet aliquando, vel deleat, ne tantis sacrilegiis simplicium animæ subuertantur. Ergo & domini corpus in sepulchro positum, immundum fuit? Et angeli qui candidis vestibus vtebantur: mortuo cadaueri atque polluto pręebebant excubias, vt post multa secula Dormitantius somniaret, imo eructaret immundissimam crapulam: & cum Iuliano persecutore, sanctorum basilicas aut destrueret, aut in templa conuerteret? Miror sanctum Episcopum, in cuius parochia esse presbiter dicitur, acquiescere furori eius: & non virga Apostolica, virgaque ferrea confringere vas inutile, & tradere in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat: nec memine-

reliquias: & aliud eos colere & adorare vt deos.

En quæ consequantur, si martyrum reliquiæ despuendæ sunt

Num. vis.

Aliud templum idolorum, & templum sanctorum.

Mar. 16.

Luc. 24.

Iulian⁹ Apostata sanctorum Basilicas despuebat.

Hæreticus Hagiomachus excommunicandus est.

Psal. 49. Psal. 21. rit illius dicti: Si videbas furem currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Et in alio loco: In matutino interficiebem omnes peccatores terræ, vt disperderem de ciuitate domini omnes operantes iniquitatem. Et iterum: Nónne odientes te Domine, odio habui, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos. *Si non sint honorandæ reliquiæ martyrum, quomodo legimus. Preciosa in conspectu domini mors sanctorum eius?* Si ossa mortuorum polluunt contingentes, quomodo Eliseus mortuus, mortuum suscitauit, & dedit vitam corpori, quod iuxta Vigilantium iacebat immundum? Ergo omnia castra Israelitici exercitus & populi dei fuere immunda, quia Ioseph & patriarcharum portabant corpora in solitudine & ad sanctā terrā, immundos cineres pertulerant? Ioseph quoque qui in typo præcessit domini saluatoris nostri sceleratus fuit: qui tanta ambitione, Iacob in hebron ossa portauit: vt immundum patrem, auo & atauo sociaret immundis, & mortuum mortuis copularet. *Et post pauca.* Iterum dicam: Ergo martyrum immundę sunt reliquiæ? Et quid passi sunt apostoli, vt immundum Stephani corpus tanta funeris ambitione pręcederent: vt facerent ei planctum magnum, vt eorum luctus in nostrum gaudium verteretur? Nam quod dicis eum vigilias execrari, facit & hoc contra vocabulum suum, vt velit dormire Vigilantius, & non audiat sal-

Psal. 138. Psal. 115. 4. Reg. 13. Iosue 24. a

uatorem dicentem: Sic non potuiſtis vna hora vigilare mecum,&c.

Idem.

Suſtinent Vigilantium iſta quoque dicentem. Quid neceſſe eſt, te tanto honore, non ſolum honorare, ſed etiam adorare illud neſcio quid, quod in modico vaſculo transferendo colis?Et rurſum in eodem libro:Quid puluerem lintea- mine circundatum, adorando oſcularis? Et in conſequentibus: Prope ritum gentilium vide- mus ſub prętextu religionis introductum in Eccleſiis,ſole adhuc fulgente, moles cereorum accendi & vbicumque puluiſculum neſcio quod, in modico vaſculo precioſo linteamine circundatum oſculantes adorant.Magnum ho- norem prębent huiuſmodi homines beatiſsi- mis martyribus, quos putant de viliſsimis ce- reolis illuſtrādos: quos agnus,qui eſt in medio throni cum omni fulgore maieſtatis ſuæ illu- ſtrat. Quis enim, ô inſanum caput, aliquando martyres adorauit? quis hominem putauit De- um?nónne Paulus & Barnabas cum à Lycaoni- bus Iupiter & Mercurius putarentur, & eis vellent hoſtias immolare, ſciderunt veſtimen- ta ſua,& ſe homines eſſe dixerunt? Non quod meliores non eſſent olim mortuis homini- bus,Ioue, atque Mercurio: ſed quod ſub gen- tilitatis errore, honor eis deo debitus defer- retur. Quod & de Petro legimus, qui & Cor- nelium ſe adorare cupientem manu ſuble-

Epiſt.2.ad Riparium in eundem Vigilantiū. tranſlatio re liquarum.

Obiectio Hagiomachorum in reliquias & cur oſculantur.

Cerei ardētes Oſcularī reliquias.

Non putamus Martyres Deos&c. Act.14.

Meliores ſunt ſancti hominibus Gentilibus. Act.10.

uauit, & dixit: Surge: nam & ego homo sum. Et audes dicere: illud nescio quid, quod in modico vasculo transferēdo colis? Quid est illud, nescio quid, scire desidero. Expone manifestius, vt tota libertate blasphemes, puluisculum nescio quod in modico vasculo precioso lintea mine circundatum. Dolet martyrum reliquias precioso operiri velamine: & non vel pannis, vel cilicio colligari, vel proiici in sterquiliniū, vt solus Vigilantius ebrius & dormiens adoretur. *Ergo sacrilegi sumus, quando Apostolorum Basilicas ingredimur?* Sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui sanctas reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei transtulit Constantinopolin, apud quas dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantij illorum se sentire pręsentiam confitentur? Sacrilegus dicendus est, & nunc Augustus Arcadius, qui ossa beati Samuelis lōgo post tempore, de Iudæa trāstulit in Thraciam? Omnes Episcopi non solum sacrilegi, sed & fatui iudicandi, qui rem vilissimam & cineres dissolutos in serico & vase aureo portauerunt? Stulti omnium Ecclesiarum populi, qui occurrerūt sanctis reliquiis: & tanta lætitia, quasi præsentem, viuentémque Prophetam cernerēt, susceperunt: vt de Palestina vsque Chalcedonē iungerentur populorū examina: & in Christi laudem vna voce resonarent? Videlicet adorabāt Samuelē & non Christū: cuius Samuel & leuita fuit & Prophetes. Mortuum suspicaris, & idcirco blasphemas. Lege Euangeliū: Deus Abraham,

Hagiomachi reiiciunt sanctos, vt soli adorētur.

Cōstantinus

Dæmones rugiūt apud reliquias sanctorum.

Aug. Arcadius.

Processiones.

Aliud adorare aliud venerari.

Matth. 22.

Sancti non sunt dicendi mortui.

ham, & Deus Isaac, Deus Iacob: non est Deus mortuorum, sed viuorum. Si ergo viuunt, honesto iuxta te carcere non claudũtur. Ais enim vel in sinu Abrahæ, vel in loco refrigerij, vel subter aram Dei, animas Apostolorum & martyrum consedisse: nec posse de suis tumulis, & vbi voluerint adesse præsentes. Senatoriæ videlicet dignitatis sunt, & non inter homicidas teterrimo carcere, sed in libera honestaque custodia in fortunatorum insulis & in campis Elysiis recluduntur. Tu Deo leges pones? Tu Apostolis vincula iniicies, vt vsque ad diem iudicij teneantur custodia, nec sint cum Domino suo, de quibus scriptum est: sequuntur agnum quocunque ierit. Si agnus vbique, ergo & hi qui cũ agno sunt, vbique esse credendi sunt. Et cum Diabolus & dæmones toto vagẽtur in orbe, & celeritate nimia vbique pręsentes sint, martyres post effusionem sanguinis sui arcæ operientur inclusi, & indè exire non poterunt? Dicis in libello tuo, quod dum viuimus mutuo pro nobis orare possumus: postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio: præsertim cum martyres vltionẽ sui sanguinis obsecrantes, impetrare non quiuerint. *Si Apostoli & martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse soliciti: quanto magis post coronas victorias & triumphos?* Vnus homo Moyses, sexcentis milibus armatorum impetrat à deo veniam: & Stephanus imitator Domini sui, & primus

Adsunt præsentes sancti

Hagiomachi Deo leges ponunt.

Apoc. 14.

Sancti vbique scientia.

Vide Vigilantianũ argumentum.

Viui orant & mortui.

Vis precum quæ à viuis finis.

Exo. 32.

Act. 7.

Argumentum à minori ad maius. martyr in Christo, pro persequutoribus veniá deprecatur, & postquam cum Christo esse cœperint minus valebũt? Paulus Apostolus ducen- *Act. 37.* tas septuagintasex sibi dicit in naui animas cõdonatas: & postquam resolutus esse cœperit cũ Christo, tunc ora clausurus est: & pro his qui in toto orbe ad suum Euãgelium crediderunt, mutire non poterit? meliorque erit Vigilantius canis viuẽs quam ille leo mortuus? Rectè hoc de *Sancti non sunt mortui.* Ecclesiaste proponeres, si Paulũ in spiritu mor- *Ioan. 11. 1. Thessal. 4.* tuum confiterer. Denique sancti non appellantur mortui, sed dormientes. Vnde & Lazarus qui resurrecturus erat, dormisse perhibetur. Et Apostolus vetat Thessalonicenses de dormientibus contristari.

Et Paulo post.

Missa super reliquias S. Petri & Pauli. Malè facit ergo Romanus Episcopus qui super mortuorum hominum Petri & Pauli, secundum nos ossa veneranda, secundum te vilem puluisculum. *Offert Domino sacrificia, & tumulos eorum Christi arbitrantur altaria?* Et non solum vnius vrbis, sed totius orbis errãt Episcopi, qui cauponem Vigilantium contemnentes, ingrediuntur basilicas mortuorum, in quibus puluis vilissimus & fauilla, nescio quę, iacet linteamine cõuoluta, vt polluta omnia polluat: & quasi sepulcra pharisaica foris dealbata sint, cum intus immundo cinere, iuxta te, immunda omnia oleãt atque sordeant. Et posthæc de barathro pectoris tui cœnosam spurcitiam euomens, audes dicere: Ergo cineres suos amant animæ

martyrum,& circumuolat eos ſempérque præſentes ſunt: ne fortè ſi aliquis precator aduenerit,abſentes audire non poſsint! O portentum in terras vltimas deportandum. Rides de reliquiis martyrum, & cum authore huius hæreſeos Eunomio, Eccleſiis Chriſti calumniam ſtruis:nec tali ſocietate terreris,vt eadem contra nos loquaris, quæ ille contra Eccleſiam loquitur? Omnes enim ſectatores eius Baſilicas Apoſtolorum & martyrum non ingrediuntur, vt ſcilicet adorent. Eunomium, cuius libros maioris authoritatis arbitrantur, quàm Euangelia: & in ipſo credunt eſſe lumen veritatis: ſicut aliæ hæreſes paracletum in Montanũ veniſſe contendunt, & Manichæum ipſum dicunt eſſe paracletum. *Sancti ſemper præſentes ſunt.* *Hæretici vt ipſi adorentur reſpuunt ſanctos.*

De vigiliis & pernoctationib⁹ in Baſilicis martyrũ ſæpe celebrandis, in altera Epiſtola,quam ferme ante biennium ſancto Ripario presbytero ſcripſeram reſpondi breuiter. *Vigiliæ martyrum.*

Idem.

Sicut murus hoſti opponitur,& aduerſario occurri ſolet ex aduerſo contráque venienti: ita *Dei ſententia ſanctorum precibus frangitur.* *Tom.5.li.4. comment. in Ezech.ca.1.*

Idem.

Quos alios poſſumus intelligere filios Eccleſię nominatos,niſi Apoſtolos?Vide mihi Petrum, & Paulum & Matthæum & Ioannem, & conſidera hoc quod ad Abrahã repromiſſum eſt: Magnificabo nomen tuum in illis opere per- *Tomo 6.l.cõmentar.in ſophonia ca.3.*

Memo. sanctorum. petratum. Quotidie nominatur in Ecclesia, quotidie magnificatur nomen eorum: non quod ipsis prosit à nobis in Ecclesia nominari: sed quod nos magnificantes nomen eorum, & quæ scripserunt lectitantes, consequamur salutem.

Tomo 2. Epist. ad Eustochium de acceptis ab ea munusculis.

Idem.

Nobis citius prouidēdum est, vt solēnem diem non tam ciborum abundantia, quam spiritus exultatione celebremus. Quia valde absurdum est, nimia saturitate velle honorare martyrem quem scias Deo placuisse ieiuniis.

Festa mart.

Tom. 1. ad Paulam de obitu Blesillæ.

Idem.

Clamat Blesilla defuncta. Putas esse me solam? Habeo pro te Mariam matrem domini. Misereris mei, quia mundum reliqui? At ego vestri sortem doleo, quos adhuc seculi carcer includit, quos quotidie in acie prēliantes, nunc ira, nunc auaritia, nunc libido, nunc variorum incentiua vitiorū pertrahūt ad ruinam. Loquitur illa & alia multa quæ taceo: & pro te dominum rogat mihique vt de eius mēte securus sim veniam impetrat peccatorū: quod monui, quod hortatus sum, quod inuidiam propinquorum vt salua esset, excepi.

Maria aduocata.

Tom. 1. ad Eustochium, Epitaphio Paulæ.

Idem.

Vale, ô Paula! & cultoris tui extremam senectutem orationibus iuua. Fides & opera tua Christo te sociant, præsens facilius quod postulas impetrabis.

Idem.

Non mihi videtur in calce libri tacenda Constantiæ illius sanctißimæ mulieris deuotio, quę perlato ad se nuncio, quod corpusculum Hilarionis Palestinæ esset, statim exanimata est, veram in seruum dei dilectionem etiam morte comprobans. Erat enim solita peruigiles in sepulcro eius noctes ducere, & quasi cum præsente ad adiuuandas orationes suas sermocinari.

Tom. 1. in vita Hilarionis Eremitæ.

Vigiliæ ad sanctorum sepulcra.

Idem.

Extiterũt qui virtutes egregias & cœlestes per sanctorum reliquias, iam vtique nostris temporibus operantes, maluerunt detractatione mordere quam veneratione suscipere. Antiquum venenum Iudaicæ infidelitatis euomentes: in qua potestate hæc facis, & quis tibi dedit hanc potestatẽ? Recitabant enim nobis iuxta positis quæ diuinis & beatißimis Geruasio & Prothasio infidelitas stulta loquebatur. Quid est quod ex eo quod martyres sunt virtutũ dona meruerunt? Cur tam tarde, quod iampridẽ illis cõcessum est, exercetur? Tepida, vt arbitror, consolatio & liuore generata, quærere an diuinũ sit, quod videas esse diuinũ, & rationẽ poscete, cũ sit necesse credere, & cũ Apostolus dicat: Charitas omnia credit, quis dubitat, quod sine charitate sunt qui fidẽ tantis nõ applicauere virtutibus. Quasi non manifestũ sit in ea sanctos martyres nunc in spiritu miracula facere, in qua potestate aduersarios suos prius in carne & in paßione vicerunt.

Tom 2. li. de viro perfecto

Hagiomachi Iudæis similes.

Miracula ad S. Geruasij & Prothasij sepulcra.

Hagiomachi charitate destituũtur.

Idem.

Epist. ad Chromatiũ & Heliodorum.

Per singulos dies diuersarum prouinciarum ac diuersarum vrbium plus quam octingẽtorum, vel nongentorum millium martyrum nomina sunt nominata: vt nullus dies sit qui non vltra quinque millium numerũ reperiri possit ascriptus, excepto die Calendarum Ianuarij.

PAVLA ET EVSTOCHIVM *vixerunt anno* 400.

Epist. ad marcellam: quæ inseritur. Tom. 2. Epist. Ieron. Veneratio reliquiarum & sepulcrorum.

Quomodo benedicta loca putãt, in quibus Petrus & Paulus Christiani exercitus duces sanguinem fudere pro Christo? Martyrum vbique sepulcra veneramur, & sanctam fauillam oculis apponentes, si liceat etiam ore cõtingimus, & monumentum, in quo dominus cõditus est, quidam existimant negligendum?

Et post pauca.

Honor debetur etiã locis in quibus sancti conuersati sunt.

Ergo-ne erit illa dies, quando nobis liceat speluncam saluatoris intrare? Videre fontẽ in quo à Philippo Eunuchus est tinctus: Samariã pergere, & Ioannis Baptistæ, Helysæi quoque & Abdiæ pariter cineres adorare?

CHROMATIVS ET ELIODORVS *Episcopi vixerunt anno* 412.

Epist. ad S. Hieronymũ

Christianissimus princeps Theodosius Mediolanensem vrbem ingressus, sanctum Gregoriũ Episcopum Cordubensis Ecclesiæ cœpit in eo præferre antistitẽ, quod dominico die siue ieiunans matutinas, siue nõ ieiunans vespertinas, explicans missas eorum martyrum, quorum natalitia essent, plurimorum nomina memorarit.

Martyrologij cõscribendi occasio.

factum est vt omnes pariter statueremus ad tuam scribere charitatẽ, vt famosissimos feriales de archiuis sancti Eusebij Cæsareæ Palestinæ Episcopi inquirens, ad nos dirigas festa: vt possimus hoc officium per tuam industriam in melius perfectiúsque ad honorem dei Martyrum exhibere.

S. EPIPHANIVS VIXIT *anno* 413.

li.3. Tom.1. heres.78. contra Antidicomarianitas. Assumptio S. Mariæ.

Siue enim mortua est sancta virgo, & sepulta in honore ipsius dormitio, & in castitate mors, & in virginitate corona siue sublata est, velut scriptum est: animam ipsius pertransibit gladius: inter Martyres est ipsius gloria, & in laudibus est sanctum ipsius corpus per quam lux exorta est mundo: siue mansit, nam non est impossibile deo omnia facere quę vult, finis enim ipsius nemini notus est. *Idem.*

Honorandi sunt sancti.

Sancti sunt in honore, quies ipsorum in gloria, profectio ipsorum hinc in perfectione: sors ipsorum in beatitudine in mansionibus sanctis, tripudium cum Angelis, Diæta in cœlo, conuersatio in diuinis scripturis, gloria in honore incomparabili ac perpetuo, brauia in Christo Iesu domino nostro per quem & cum quo gloria patri, cum sancto spiritu in secula seculorum, Amen. *Idem.*

Heres. 79. in Collyridianos Mariæ offerentes.

Quis Prophetarum præcepit hominem adorari, nedum mulierem? Eximium equidem est vas Maria, sed mulier, & nihil à natura immutata: verum, & intellectu & sensu

Aliud honorare aliud adorare sanctos.

in honore honorata, velut corpora sanctorum & si quid amplius ad glorificationem dixerim, sicut Helyas ex matre virgo & sic manens in perpetuum, & translatus & mortem non conspicatus: sicut Ioannes qui super pectus domini recubuit, quē diligebat Iesus: sicut Thecla sancta. Et Maria adhuc honoratior hac est, propter dispensationem mysterij quą digna facta est: Sed neque Thecla, neque quisquam sanctus adoratur. Non enim dominabitur nobis antiquus error, vt relinquamus viuentem, & adoremus ea quæ ab ipso facta sunt.

Sit in honore Maria, Pater & filius & spiritus sanctus adoretur.

S. IOANNES CHRYSOSTOMVS

floruit anno 414.

Tomo 1. homil. 44. in cap. 19. Genes.

Cur igitur dixerit aliquis, propter orationem patriarchæ Abrahæ Loth iustus seruatus est, & non propter suam iustitiam? Ita certe propter orationem Patriarchæ. Quando enim quod ex nobis est simul afferimus, & accedit intercesio sanctorum, plurimum nobis confert. Quod si ipsi negligentes fuerimus, & spem in illis solis collocamus nostræ salutis, nihil amplius nobis prodest: non quod infirmi sunt iusti, sed quia propter nostram desidiam nosipsos perdimus. Et vt discas quod quando negligentes sumus, etiamsi iusti sint qui pro nobis orant, etiamsi Prophetæ: nulla nobis inde fiet vtilitas. Illi enim suam virtutem & per hoc demonstrant: nobis autem nulla erit vtilitas propter mores

Sanctorum precibus vita nostra conformāda est.

noſtros. Audi deum omnium ad eum qui de vtero matris ſanctificatus eſt, Ieremiam Prophetam dicentem: Non ores pro populo hoc quia ego non exaudiam te.

Non igitur quaſi oſcitantes & deſides ex aliorum meritis pendeamus. Habent enim vim pro nobis, & quidem maximam preces orationéſque ſanctorum: ſed tunc profecto, cum nos quoque idipſum per pœnitentiam poſtulamus, & ad ſtudia meliora confugimus. Alioquin etiam Moſes ipſe, qui & fratrem ſuum, & ſexcenta millia armatorum ab imminenti dei liberauit ira, ſororem ſuam nequiuit eruere.

Ierem. 7. d
Preces ſanctorum magna Virtutu ſunt.
Tom. 2. homil. 5. in Matt. c. 1.
Eadem ferme Tom. 4. homel. 42. in 1. ad Cor. cap. 16.
Exod. 32. g
Num. 12. c d

Aliorum ſane virtus multorum tegere valet malitiã. Multa enim domini bonitas eſt, & ſæpe ſolet etiam propter paucos multis dare ſalutem. Et quid dico propter paucos iuſtos? Sæpe quando non inuentus eſt in pręſenti vita iuſtus propter defunctorum virtutem, viuentium miſeretur & curam habet. Protegam ciuitatem hanc propter me (inquit) & propter Dauid puerum meum.

Homil. 42. in Geneſ. c. 18.
Sanctorum ſuffragia & memoria

Idem.

O rem admirandam, ô ineffabilem clementiam dei: Dauid mortuus eſt, & Ezechiæ viuo patrocinatur. O iuſtorum etiam poſt conſummationem inexpugnabilis pugna virorum. Dauid mortuus eſt, & poſt mortem ſuam inuenitur viuentibus tam grande præſtitiſſe ſolatium. Certe iam defecerat Dauid, & habebat iam multos annos requieſcens: Quid autem dicit

Homil. 2. in Pſal. 50. ſerm. 35. de vitiis & virtutibus.
Mortui viuis patrocinantur.

ſcriptura? Protegam ciuitatē hanc propter me &propter Dauid ſeruum meum. Dauid mortuus eſt,& merita eius vrgent..

Tomo.4.ho. 1. in 1. ad Theſſ.c.1. Hiere.7.d 14 b.15.a 1.Reg.15.c

Idem.

Quid profuit Iudæis Ieremias? Nónne tertio deũ adiit oraturus,& is tertio audiuit, Ne ora, & ne obſecra pro populo hoc quia nõ exaudiã te? Quid cõmodi contulit Sauli Samuel? An nõ vſq; ad extremum diem, ſuper ipſo Saule lugebat? Neque enim vtcunque orabat ſolũ. Quid emolumenti ipſis attulit Iſraelitis? Nunquid dicebat: Abſit hoc à me vt ceſſem orare pro vobis? Nónne omnes denique perierunt? Dixeris. Nihil igitur orationes adiuuant ſanctorum? Immo iuuant maxime,ſed cum nonnihil boni operis ipſi conficimus,cooperantur orationes,tum & auxiliares fiunt.

1.Reg.12.d Quando nos ſanctorum orationes iuuent.

Demum addit.

Ibidem. Obiectio Hagiomachorum. Iob.42.b. Reſponſio.

Sed quæ inquies neceſsitas alienæ precis cum ego commodè me habeam atque hilariter? Nũquam hoc dixeris homo & ô. Opus ſanè eſt, & prece opus ſanè quam multa. Audi queſo deum ipſum ad amicos Iob dicentem: Et orabit pro vobis & dimittetur vobis peccatum.

Idem.

Homil.vlt. in ipiſt ad Roma. Argumentum à minori ad maius.

Si Paulus cum hic eſſet vſque adeo dilexit homines vt cum diſſolui ex animi propoſito,&cũ Chriſto eſſe cuperet, elegerit hic eſſe: multo magis illic feruentiorem amorē oſtendet. Ego & Romam propterea diligo,tametſi & aliunde queam eam laudare,nempe à magnificẽtia, ab

antiquitate, à pulchritudine, à multitudine, à po tentatu, à diuitiis & à rebus in bello fortiter ge stis: sed relictis illis omnibus ob id illam beatam deprædico, quod erga eòs Paulus dum viueret adeo fuit beneuolus, adeo illos amauit, coram disseruit, & postremo vitã apud eos fini uit. Vnde & ciuitas ista hinc facta est insignis, plus quam à reliquis omnibus. Et quẽadmodũ corpus magnum ac validum duos habet oculos illustres, sanctorum videlicet illorum corpora. Hinc rapietur Paulus, hinc Petrus. Considerate & horrete quale spectaculum visura sit Roma, Paulum videlicet ex theca illa repente resurgentem in occursum domini sursum ferri. Qualem rosam Christo mittet Roma? Qualibus coronis duabus ornatur vrbs ista? Qualibus cathenis aureis cincta est? Quales habet fontes? Propterea celebro hanc vrbem, non propter auri copiam, non propter columnas neque aliam fantasiã: sed *propter columnas illas Ecclesiæ.* Quis mihi nunc dabit circunfundi corpori Pauli, affigi sepulcro, videre puluerem corporis illius, quæ adhuc in Christo deerant adimplentis, stigmata illius gestantis, prædicationem Euangelij vbique seminantis?

Corporibus sanctorum vrbes illustres sunt.

Idem.

Christus discipulos postquam obierunt effulgere fecit. Et quid dico discipulos? Nam & eorum loca & sepulcra, simul & tempora perenni memoria celebrari curauit. Tu vero mihi

Tomo.5. ho. 66. ad Populum Antiochenum.

Hæc omnia & quæ sequuntur repetuntur tomo 4 ho. 26 in 2. ad Cor. Epist. c. 12.

ſepulcrum oſtendas Alexandri, & profer diem quo vitam finiuit. Nihil horum inſigne, ſed omnia deſtructa ſunt, & exterminata. Chriſti verò ſeruorum & ſepulcra clara ſunt regiam aſſecuta dignitatem, & dies notiſsimi mundo feſtā afferentes lætitiam. Et illius quidem loculum, & proprij neſciunt, horum autem ſciunt & Barbari. Et ſeruorum crucifixi ſepulcra regiis aulis ſunt clariora, non magnitudine & ędificiorum pulchritudine (nam & in hoc quidem ſuperāt) ſed quod multo maius eſt, conuenientium ſtudio. Nam & ipſe qui purpuram indutus eſt, accedit illa complexurus ſepulcra, & faſtu depoſito ſtat ſanctis ſupplicaturus, vt pro ſe apud Deum intercedant: & ſcænarum fabrum, & piſcatorem etiam mortuos, vt protectores orat qui diademate redimitus incedit. Audebis igitur quæſo horum dominum nuncupare mortuum, cuius ſerui, *vel mortui terrarum orbis regū ſunt protectores?* Nec hoc tantum quis Romę fieri viderit, verum & Conſtantinopoli: Nam & hic Conſtantinum magnum ipſius filius honore magno cenſuit haberi, ſi pro foribus piſcatoris paternum corpus collocaret. Et quod in regiis ſunt ianitores regibus, hoc ſunt in monumento piſcatoribus reges, &c.

Sepulcra antiquorū Imperatorum nihil ſunt reſpectu eorum quibus reliquiæ ſanctorum ſunt conditæ.

Reges ſupplicant ad ſepulcra ſanctorum.

Sancti tutelares ſunt

Idem.

Ibidem.

Et hic quidem regnans alicui ſubiecto præcipit, vt hunc ſoluat, illum verò liget: *Sanctorum autem oſſa non hanc habent miſerabilem & abiectam poteſtatem, ſed illa multo maiorem. Dæmonas*

enim sistunt & torquent, & vinctos ab illis soluunt sæuissimis vinculis. Quid hoc foro magis reuerendum, cum videatur nemo, nemo dæmonis instet lateribus, voces sentiantur & lacerationes, tormentáque ac linguæ ardentes, terribilem illam vim dæmone non ferente? Et corpus induti incorporeas opprimunt potestates. Et cinis & ossa, & fauilla inuisibiles illas potestates dilaniant. Itaque quo regias quidem aulas videat, nullus vnquam peregrinatus fuerit: multi vero reges plerunque huius spectaculi gratia peregrinati sunt. Futuri namque iudicij vestigia & signa, sanctorum ædes exhibent, vbi dæmones flagellantur, corriguntur homines & liberantur. Vidisti vel mortuorum hominum virtutem? *Sanctorum ossa Dæmones sistunt & torquēt.* *Regum peregrinatio ad sepulcra sanctorum.*

Idem.

Tales sanctos esse constat, vt perfici modo velint quæ ad salutem hominum spectant: non etiam vulgo ostentare opera huiusmodi per se ipsos fieri, nisi sicubi vsus aliquis cogat. Vsum autem esse dico seruandorum hominum curam id quod tum vsu-uenit. *Tomo. 5 lib. contra Gentiles sancti curant quæ salutis hominum sunt. Ibidem.*

Idem.

Beati Babylæ virtutis argumenta extant, & templum & Martyrij monumentum: illud desolatum, hoc eandem quam prius efficaciam retinens. *Et paulo post.* Ea est Martyrum virtus & viuentium & mortuorum, & ad loca illa vel illa abeuntium, & rursus ab eisdem aliò migrantium. Vbi Babylas hinc emigrauit dæmonis ro- *Virtus Babylæ Martyris.*

bur eneruauit, Gentilium imposturam coarguit, Vaticinij deliramenta detexit, personam eiuscontriuit, simulationem omnibus denudauit ac patefecit: eum qui in ea dominari videretur obmutescere cogens ac magna vehemẽtia opprimens. Hodie quoque templi parietes recti stant omnibus quasi prædicantes qua dæmonis impudẽtiam, risum, imbecillitatem, qua martyris coronas, victoriam, virtutem. Ea sanè est sanctorum fortitudo tam inexpugnabilis & terrificatum regibus tum dæmonibus, tum ipsi dæmonum principi.

Tom. 4. ho. 8. in Epist. ad Eph. c. 4.

Idem.

O beata vincula! ô beatæ manus, quas cathena illa exornauit qua Paulus vinctus est. Quod si temporibus illis esse licuisset, tum potissimũ illas circũplexus fuissent, inque sinus meos collocassem. Vtique non cessassem exosculando illas, quibus pro Domino meo ligari licuit. Si quis modo mortuos mihi largiretur excitandi facultatem, istud planè non præferrem huic catenę. Quod si liberũ fuisset per curas Ecclesiasticas, & corpus habuissem validum, nihil vtique causatus fuissem, quo minus tãta suscepta peregrinatione, catenas duntaxat illas & carcerem vbi ligatus fuit, vidissem.

Vincula & catena Pauli beata.

Idem.

Tom. 5. ser. Post beatam illam Iuuentini & Maximi Mar-

tyrum cædem, quidam etiam cum salutis periculo athletas illos optimos rapuerunt, vt illorum reliquias curarent decenter. Dicunt qui tunc affuere & quibus corpora illa recens occisa videre datum fuit: quod iacentibus simul illis in sepulcro talis quædam ex eorum oculis & vultu gratia resplenduerit, qualem in Stephano Iudæis responsuro Lucas fuisse scribit. Illos non indignum fuerit & columnas, & scopulos & turres & candelabra & tauros simul appellare. Nam Ecclesiam sicut columnæ sustinent, sicut turres muniunt: & sicut scopuli omnes vndarum assultus repulerunt multam interim ipsi seruantes tranquillitatem: sicut luminaria tenebras impietatis discusserunt: & sicut Tauri anima promptitudineque eadem suaue Christi iugum traxere. Idcirco sæpe eos inuisamus tumulos adornemus, magnaque fide reliquias eorum contingamus. Etenim sicut milites vulnera, quę in præliis sibi inflicta regi monstrantes fidenter loquuntur: ita & illi in manibus abscecta capita gestantes, & in medium afferentes, quæque voluerint apud regem cœlorum impetrare possunt. Proinde magna fide promptitudineque huc veniamus: quo & visis sanctorum monumentis, & consideratis eorum præmiis, inde varios thesauros vndiqua que colligamus: & per præsenté vitã iuxta voluntatem dei transeamus, vt in portum æternitatis cũ multis mercibus ingrediamur, fruituri

S. in Iuuentinũ & Maximũ mart.

Reliquiarũ honor.

Act. c. 7.

Martyres sunt turres, columnæ, scopuli, & tauri, & candelabra.

Adornare tumulos, & contingere reliquias.

Martyres à Deo exaudiuntur.

Magna fide sancti sunt orandi.

regno cœlorũ in Christo Iesu domino nostro, cui sit gloria in secula, Amen.

Idem.

Lib. contra Gentiles.

Deus hanc nobis viam ad perfectum virtutis stimulum munitam esse voluit, relictis scilicet interim apud nos sanctorum reliquiis. Nam post sermonis facultatem, ipsa certe sanctorum sepulcra proximum locum obtinent, ad animas hominum in ipsos sanctos intuentium, ad virtutum eorundem æmulationem excitãdas.

Quid sepulcra & sanctorum reliquiæ conducant.

Idem.

In Liturgia

Deus per intercessionem sancti Apostoli & Euangelistæ, det verbum tibi euangelizandi virtute multa.

Idem.

Intercessionibus dei genitricis saluator salua nos.

Ibidem.

Sanctissmæ, intemeratæ, superbenedictæ reginæ nostræ matris domini & semper virginis Mariæ cum omnibus sanctis memoriam celebrando, nosmetipsos & ad inuicem omnem vitam nostram Christo deo commendemus.

Idem.

Ibidem.

Interuentibus sanctorum tuorum salua nos domine. Et: omnia exuperant sensum: omnia sunt gloriosa in te dei genitrix, ipsi supplica vt animas nostras saluet. Et cælestis militiæ princeps Michael rogamus te vt tuis intercessionibus munias nos vmbra alarum tuarum, immateriatæ naturæ: procidimus & sine intermissione ad te clamamus, à periculis erue nos vt virtutum

Oratio ad D. Virginẽ. Oratio ad S. Michaelem.

princeps

princeps cęlestium. *Aliud.*

Pater Nicolae fungere legatione apud Christum Deum vt animæ nostræ salutem consequantur. Apostoli Martyres & Prophetæ, sacerdotes confessores, & iusti qui bene certamen consummastis & fidem seruastis pro nobis ipsis orate saluari animas nostras. *Oratio ad S. Nicolaũ. Oratio ad Martyres Apostolos & Prophetas.*

Idem.

Credimus nos iuuari sanctorum meritis. *Homil. 28. post reduũ.*

Idem.

Quicunque sanctos vocauerit luminaria mundi non peccabit: non solum dum essent in corpore, sed etiam magis nunc quando de hac vita migrarunt. Gratia enim & merita sanctorum morte non minuuntur, non retardantur die. *Et paulo post*. Tunc quidem pisces capiebant ad mortem, nunc autem (Apostoli) capiunt homines ad salutem: claudos facientes currere, cæcos illuminantes, leprosos mundantes, dæmones effugantes, vt testatur multitudo credentium diurna. Appellat eos columnas, fundamenta, portus, gubernatores, pastores, aratores, vinitores & medicos Ecclesiæ. *Homil. 26. de Pænitentia. Gratia & merita sanctorum morte non minuuntur. Miracula sanctorum.*

Idem.

Non attendas cinerem sanctorum corporum, nec fauillam reliquiarum carnis, omniaq; ossa consumpta temporibus: sed aperi oculos fidei & vide diuina eos virtute, & gratia spiritusſ. amictos, & diuini luminis claritate radiantes. Hi ergo ipsi de superno solis circulo in terram radij Christo emittente iaciuntur, & à corpori- *Homel. 7. de natiuitate septẽ Machabæorum.*

Reliquiarū virtus vt cō- deranda. Similitudo.

bus eorum prosilientes corusca luce fulgoris, sicut speciem Ecclesiæ gaudentis illustrant, ita faciem diaboli inuidentis obcæcant. Nam vt audaces latronum duces, siue impij sepulcrorū effossores, si forte dū prædas agunt, aut spolia capienda conquirunt, sin arma vel ornamenta imperatoris inciderint, ita agnitis regis insignis deterrentur vt fugiant, neque cominus accedere vel attingere audeant: vnde sibi non compendium procedere, sed periculum præuident imminere, si quid inde audeant vsurpare. Ita profecto & Dæmones, qui vere latronum principes & magistri sunt, vbi coronatorum Martyrum corpora viderint posita, longè ilico à conspectu eorum pauidi fugiunt, & absiliunt. Non enim ad naturam eorum attendunt, sed in arcanam dignitatem & gloriam Christi, si in agone certantium induta corpora Martyrū suorū sicut arma portauit: Prout & Paulus clamat: an experimentum quæritis præliantis in me Christi? Preciosa enim sunt corpora Martyrū, quoniam plagas pro domino susceperunt. Et quia stigmata propter Christum membris suis impressa ferunt, & sicut corona regalis vndiq; decorata fulgores emittit varios, ita & sanctorum Martyrum corpora, sicut preciosis lapidibus acceptis pro Christo vulneribus distincta, omni regum diademate preciosiora, & spectabilia redduntur: & illi quidem secularium spectaculorum præsides, seu agonothetæ proponentes certamina magnum muneris ambitum

Vt Demones terrētur sepulcru martyrum.

Dæmones latrones.

Corpora Martyrum arma Dei.

Alia similitudo.

esse existimant, quando iuuenes & robustos luctatores in stadium introduxerint, &c.

Idem.

Dilectissimi fratres, hodie ad loca conuenimus beatorum, vt conuentus noster, ipsorum quoque præsentia clarior redderetur. Non enim in hoc theatro Martyres tantum sunt, sed & Angelorum instantia locus decoratur. Nam & angeli præsunt, & si Martyres videre desideras, si Angelos cupis inspicere aperi oculos fidei, & illud tibi theatrum facili demonstratur.

Sermone de ascensione domini.

Conuentus ad loca sanctorum.

Idem.

Pauli vestes morbos fuderunt, Petri vmbræ mortem fugarunt, sanctorum Martyrum cinis dæmones expulit.

Sermo.35.de virtutibus & vitiis.

Reliquiarũ virtus.

Idem.

Scimus si quis sanctorum monumentis adstet, suum statim sensum ab hac vi correptum animaduertit. Capsulæ enim aspectus in animam inuadens, ipsam præcellit & exsuscitat, ac perinde afficit, quasi qui illic mortuus iacet, preces simul fundat, præsensque adesse cernatur.

lib.contra Gentiles.

Capsulæ sancti alicuius aspectus.

GALLVS VIXIT
anno 417.

Horreo dicere quod nuper audiui: infelicem dixisse nescio quẽ ô Sulpiti, te in illo libro tuo (de vita, beati Martini) plura mentitum. Non est hominis vox ista sed diaboli: nec Martino

li. 3. de vita diui Martini à seuero Sulpitio descripta dia. 1

in hac parte detrahitur, ſed fidei Euangelij derogatur. Nam cum dominus ipſe teſtatus ſit iſtiuſmodi opera, quæ Martinus impleuit, ab omnibus fidelibus eſſe facienda: qui non credit Martinum iſta feciſſe, non credit Chriſtum illa dixiſſe.

Qui ſanctis detrahit deo detrahit.

Dialog. 2. l. 3. de vita Martini.

Idem.

Gaudiomacus vicus eſt in confinio Biturigum atque Turonorum, Eccleſia ibi eſt celebris religione ſanctorum, nec minus glorioſa ſacrarum virginum multitudine. Præteriens ergo Martinus, in ſecretario Eccleſię habuit manſionem. Poſt diſceſſum illius, cunctæ in ſecretarium illud virgines irruerunt, adlambunt ſingula loca, vbi aut ſederat vir beatus aut ſteterat. Stramentum etiam in quo quieuerat partiuntur. Vna earum poſt dies paucos partem ſtraminis, quam ſibi pro benedictione collegerat, energumeno, quem ſpiritus erroris agitabat, de ceruice ſuſpendit. Nec mora dicto citius erecto dæmone perſona purgata eſt.

Veſtigia etiam ſanctorum & ſtramina honorantur.

S. SEVERVS SVLPITIVS EPIſcopus Bituricenſis vixit anno. 418.

l. vltimo 58. in fine de vita S. Martini.

Inde ſi forte ad Africam tranſfretabis, referes audita Carthagini: licet iampridem virum nouerit, tamen nunc præcipue plura de eo cognoſcat, ne ſolum ibi Cyprianum Martyrem ſuum, quamuis ſancto illius ſanguine conſecrata miretur. Iam ſi ad læuum Achaiæ ſinum paululum diuexus intraueris, ſciat Corinthus, ſciant Athenæ non ſapientiorem in Academia Plato-

nem (D. Martino) nec Socratem in carcere fortiorem. Fœlicem quidem Græciam, quæ meruit audire Apostolum prædicantem: sed nequaquam à Christo Gallias derelictas, quibus donauerit habere Martinum. Si vnquam illius illustris Ptolomaidis littus accesseris, sollicitus inquiras vbi sit consepultus noster ille Pomponius: nec fastidias visitare ossa peregrina. *Galliæ non sunt derelictæ habentes Martinum.* *Ossa visitare.*

Idem.

Non deerit nobis ille (Martinus), mihi crede, non deerit, intererit de se sermocinantibus, adstabit orantibus. Quod iam hodie præstare dignatus est videndum se in gloria sua, sæpe præbebit: & assidue, sicut ante paululum fecit, benedictione nos protegit. Spes enim superest, illa sola, illa postrema, vt quod per nos obtinere non possumus, saltem pro nobis orante Martino mereamur. *lib. 2. Epist. ad Dereliū.* *S. Martin' non derelinquit suos.* *Orat S. Martinus.*

AVRELIVS PRVDENTIVS

vixit anno 380.

l. Peristepha. non hymno in sanctos Hemiteriū & Cheledonium Martyres Calagurritanos.

Pollet hoc fœlix per orbem terra Hibera stemmate,
Hic locus dignus tenendis ossibus visus deo,
Qui beatorum pudicus esset hospes corporum.
Hic calentes hausit vndas cæde tinctus duplici,
Illitas cruore sancto nunc arenas incolæ
Confrequentant, obsecrantes voce, votis, munere.
Exteri, necnon & orbis huc colonus aduenit.
Fama nā omnes in terras præcucurrit proditrix,
His patronos esse mundi, quos precantes ambiant.
Nemo puras hic rogando frustra congessit preces,

Martyres Patroni sūt mundi.

Nemo frustra orat sanctos si iustū petierit.

Lætus hinc tersis reuertit supplicator fletibus,
Omne quod iustum poposcit, impetratum sentiens.
Tanta pro nostris periclis cura suffragantium est,
Non sinant inane vt vllus voce murmur fuderit,
Audiunt statimque ad aurem regis æterni ferunt

Sancti audiunt statim preces. Exaudiūtur sancti.

Inde larga fonte ab ipso dona terris influunt,
Supplicum causas petitis quæ medelis irrigant.
Nil suis bonus negauit Christus vnquam testibus.

Eiusdem ad D. Laurentium precatio

Oratio ad S. Laurētiū.

Hos inter ô Christi decus,
Audi & poetam rusticum,
Cordis fatentem crimina,
Et facta prodentem sua.
Indignus agnosco, & scio.
Quem Christus ipse exaudiat,
Sed per patronos Martyres
Potest medelam consequi.

Martyres patroni.

Audi benignus supplicem,
Christi reum Prudentium
Et seruientem corpori
Absolue vinclis seculi.

Idem.

Hymno in S. Eulaliam Virginē & Martyrem. Ossa & altare Martyris venerandum est. Sanctorum cognitio.

Sic venerarier ossa libet,
Ossibus altare & impositum,
Illa Dei sita sub pedibus
Prospicit hæc, populosque suos
Carmine propitiata fouet.

Idem in eundem

Quæ sit potestas credita,
Et muneris quantum datum,
Probant Quiritum gaudia:

Quibus rogatus annuis
Quod quisque supplex postulat
Fert impetratum prospere.
Poscunt, litantur, indicant
Et tristis haud vllus redit.

Idem.

Coire tota ex oppido
Turbam fidelem cerneres,
Mollire præsultum totum,
Siccare cruda vulnera.
Ille vngularum duplices
Sulcos pererrat osculis,
Hic purpurantem corporis
Gaudet cruorem lambere.
Plerique vestem lineam
Stillante tingunt sanguine,
Tutamen vt sacrum suis
Domi reseruent posteris.

Hymno in S. Vincētiū. Etiam tormentorum instrumēta, & sanguinē terramque ipsam cruore Martyris aspersam fideles osculātur Reliquiæ sanctorum tutamē sunt

Eiusdem ad S. Vincentium oratio.

Precatio ad S. Vincentium.

Adesto nunc & percipe
Voces precantum supplices,
Nostri reatus efficax
Orator ad thronum patris.
Per te, per illum carcerem
Honoris augmentum tui,
Per vincla, flammas, vngulas,
Per carceralem stipitem.
Per fragmen illud testeum,
Quo parta creuit gloria,
Per quem trementes posteri
Exosculamur lectulum,

Osculari lectulum, & carcerem sanctorum.

Miserere nostrarum precum,
Placatus vt Christus, suis
Inclinet aurem prosperam,
Noxas nec omnes imputet.
Sancti deferunt Christi fauorem. *Si rite solennem diem*
Veneramur ore, & pectore,
Si sub tuorum gaudio
Vestigiorum sternimur.
Paulisper huc illabere,
Christi fauorem deferens:
Sensus grauati vt sentiant
Leuamen indulgentiæ.

Idem.

In sanctos fructuosum Augurium, & Eulogium. *Tum de corporibus sacris fauillæ,*
Et perfusa mero leguntur ossa,
Quæ raptim sibi quisque vendicabat.
Colligere ossa martyrum. *Fratrum tantus amor domum referre*
Sanctorum cinerum dicata dona,
Cineres martyrum sancti. *Aut gestare sinu fidele pignus.*
Sed ne reliquias resuscitandas,
Et mox cum domino simul futuras,
Discretis loca diuidant sepulcris,
Apparent Martyres niueis stolis amicti. *Cernuntur niueis stolis amicti,*
Mandant restitui, cauóque claudi
Mixtim marmore puluerem sacrandum.
O triplex honor, ô triforme culmen
Quo nostræ caput excitatur vrbis,
Cunctis vrbibus eminens Hiberis
Martyres Patroni vrbis. *Exultare tribus licet patronis,*
Quorum præsidio fouentur omnes
Terrarum populi Pyrenearum.

Idem. — *In Cassianũ Martyrem.*

Suggere si quod habes iustum, vel amabile votum:
Si qua tibi spes est, si quid intus æstuas.
Audit crede preces Martyr prosperrimus omnes, — *Sancti audiunt preces nostras.*
Ratásque reddit, quas videt probabiles.
Pareo, complector tumulũ, lachrymas quoque fundo
Altar tepescit ore, saxum pectore.
Tunc arcana mei percenseo cuncta laboris, — *Deuotio ad sepulcra Martyrum.*
Tunc quod petebam, quod timebam murmuro.
Et post terga domum dubia sub sorte relictam,
Et spem futuri forte nutantem boni.
Audior, vrbem adeo, dextris successibus vtor: — *Exauditur orans Martyrem.*
Domum reuertor, Cassianum prædico.

Idem. — *In D. Hyppolytum.*

Mira loci pietas, & prompta precantibus ara. — *Ara Martyris.*
Spes hominum placida prosperitate iuuat.
Hic corruptelis animíque & corporis æger — *Infirmum sanant sancti.*
Oraui quoties stratus opem merui.

Et tandem

Mane salutatum concurritur, omnis adorat — *Conuentus matutinus ad Ecclesias Martyrum.*
Pubes, eunt, redeunt solis ad vsque obitum,
Conglobat in cuneum latos simul, & peregrinos,
Permistim populos religionis amor.

Oratio ad S. Hypolytum

Inter solennes Cypriani, vel Chelidoni, — *Oratio ad S. Hyppolytum. Festi dies.*
Eulaliaq́; dies currat & iste tibi.
Sic te pro populo, cuius tibi tradita vita est,
Orantem Christus audiat omnipotens.

Prudentij ad S. Agnetem Oratio

O virgo fœlix, ô noua gloria, — *In eius Martyrium. Oratio ad S. Agnetẽ.*
Cælestis arcis nobilis incola,

Intende nostris colluuionibus
Vultum gemello, cum diademate,
Cui posse solis cunctiparens dedit
Castum vel ipsum reddere fornicem.
Purgabor oris propitiabilis
Fulgore, nostrum si iecur impleas,
Nil non pudicum est quod pia visere
Dignaris, almo vel pede tangere.

S. MAXIMVS EPISCOPVS TAVrinensis *vixit anno* 420.

Homil. in Martyres Tauricos. Licet vniuersi sancti vbique sint, & omnibus prosint, specialiter tamen pro nobis (Taurinensibus) interueniunt, qui & supplicia pro nobis pertulerunt.

GREGORIVS PRESBYTER GRÆcus *vixit circa annum* 400.

In vita D. Gregorij Nanzanzeni. Tu vero (S. Gregori Nanzanzene) pater beate, scenæque veræ spectator & mysta, vbi verę exultationis & salutis Angeli cum sanctis deum collaudant, tui memor sis Gregorij, qui hęc breuiter est Philosophatus.

S. IOANNES DAMASCENVS *vixit anno* 390.

l. 4. de fide orthod. c. 16. *Quomodo Honorandi sunt sancti* *Ioan. 1.* *Gal. 4.* *Roma. 8.* *Ioan. 15.* Honorare decet sanctos vt amicos Christi, vt filios & hæredes Dei, quemadmodum ait deiloquus Ioannes euangelista, quicunque autem receperunt eum: dedit eis potestatem filios Dei fieri. Quare non amplius sunt serui, sed filij. Si autem filij & hęredes, hęredes quidem Dei: cohęredes autem Christi: Et Dominus in sacris Euangeliis, apostolis dicit, Vos amici mei estis, non etiam vos vocaui seruos: nam seruus nescit

quid facit dominus eius. Si autē & rex regnantium,& dominus dominantium,& deus deorū: cōditor omniū,& dominus dicitur,omnino & ſancti:dij,& domini & reges.Nam horū deus: qui Deus & Dominus & rex eſt & dicitur.Ego enim ſum(inquit Moſi) Deus Abrahā,& Deus Iſaac, & Deus Iacob, & Deum Pharaonis fecit Deus Moſem.Deos autē dico,& reges,& dominos nō natura:ſed vt affectus regētes,illorū dominātes,& diuinæ imaginis ſimilitudinē(ſecundū quā geniti fuerint)inobliteratā cuſtodiētes, nā & dicitur rex, regis imago,qui vniti ſūt deo ſecundū voluntatē,quiq; illū ſuſcipiūt inhabitatorē,& qui id participatione ſunt effecti gratia, quod ipſe eſt natura. Quomodo igitur nō honorādi ſūt:qui cultores,& amici,& filij dei exiſtunt?Nā honor erga gratos & benignos cōſeruos: beneuolentię erga cōmunē dominū iudiciū eſt.Hi prōptuariū Dei & pura habitacula facti ſunt.Inhabitabo enim eos,dicit dominus,& inambulabo, & ero eorū deus.Et quod iuſtorū animæ in manu Dei ſūt,& nō tāget illos mors: dicit diuina ſcriptura.Nā mors ſanctorū,dormitio magis eſt quā mors,laborauerūt enī in præſenti ſeculo,& viuūt ięternū.Et precioſa in cōſpectu domini mors ſāctorū eius?At q̄d precioſius quā in manu dei eſſe?vita enī eſt de⁹ & lux. Et qui in manu dei ſunt:in vita & luce exiſtūt. Quod autem per mentem, corpora eorum inhabitauerit deus:dicit Apoſtolus.Neſcitis quia corpora veſtra ſpiritusſancti habitantis in vobis,templum eſt? Dominus autem ſpiritus eſt,

S. ſunt dij domini & reges.

Exod.3.

Exod.7.

Quomodo S. dij ſunt & domini.

Quā variè quid rex dicatur.

2.Cor.16.

Sap.3.

S. non ſunt dicendi mortui.

Pſal.115.

S. corpora templa dei ſunt.

1.Cor.6

1.Cor.3

& si quis templum Dei corruperit: corrumpet & illum deus. Quomodo igitur non honoranda sunt animata templa Dei: & animata tabernacula? Hi viuẽtes in fiducia deo asſiſtunt. fontes nobis ſalutares Dominator Chriſtus præbuit ſanctorum reliquias, multimoda beneficia ſcaturientes, vnguentum ſuauitatis emanantes, & nullus diſcredat. Si enim ex rupe & firmo ſaxo aqũa in eremo proſiluit volente Deo, & ex maxilla aſini Sãſonis ſitienti: ex martyrũ reliquiis vnguentum ſuaue olens emanare incredibile eſt? Nullo pacto profecto iis qui ſciunt dei virtutem, & ab ipſo ſanctorum honorem. In lege omnis qui tangebat mortuum, im mũdus efficiebatur: verum ij non mortui, nam ex quo ipſa vita, iis qui vitę cauſa eſt inter mortuos computatus eſt: eos qui in ſpe reſurrectionis & fide quę in ipſo eſt, dormierunt, nõ mortuos appellamus, mortuum enim corpus: quomodo miracula operari poteſt? quomodo igitur per eos dæmones abiguntur, infirmi curantur, cęci vident, leproſi mũdantur, tentationes & triſtitiæ ſoluuntur? Omne donum bonum à patre luminum: per eos iis qui inhęſitabili fide petunt, deſcendit, quantum ſanè laborares, vt inuenires adiutorem: qui ad mortalem regem te adduceret, & pro te ad ipſum ſermones faceret. Adiutores ergo totius generis, deo pro nobis ſupplicationes porrigentes: non honorandi ſunt? certè honorandi, templa à nobis erigenda ſunt in ipſorum nomine, fructus afferen

Sanctorum corpora honoranda ſunt. Reliquiarũ virtus ex veteri teſtamẽto.

Exod. 17. Nume. 20. Iud. 15. Sanſon & Maxilla.

Non eſt immundus qui contingit corpora ſanctorum. Numer. 19. Pſal. 87. Quomodo dæmones per ſanctorũ reliquias abigantur. Iac. 1.

A ſimili docet honorandos ſanctos vt patronos noſtros.

Templa ſanctis erigenda

di, illorum memoriam venerantibus, & in ipsis lætantibus spiritu: vt propria, inuocãtium lætitia fiat, ne nos non colere tentati: ẽ cõuerso ipsos irritemus. Nam iis à quibus deus colitur: & eius serui delectantur, & quod despicit deus: & eius despiciunt clientes. In psalmis & hymnis, & odis spiritualibus, cum compunctione & misericordia indigeamus: sanctos fide veneremur, à quibus maximè deus colitur, statuas illis erigamus, & visibiles imagines: & nosipsi animatæ statuæ, & imagines ipsorum, virtutũ imitatione efficiamur. Deiparã, vt propriè & verè Dei matrem honoremus, præcursorem Ioannem, vt Prophetam & Baptistam, & missum & martyrem: Neque enim inter natos mulierum surrexit maior Ioanne: vt Dominus dixit, & regni eius primus præco factus est. Apostolos vt fratres domini, & inspectores, & ministros in passionibus eius, quos præsciens prędestinauit conformes fieri imagini filij sui Deus & pater: primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Pastores & Doctores. Martyres verò Domini, ex omni ordine delectos: vt milites Christi. Et qui eius biberunt calicẽ, tunc viuificę eius mortis baptismate baptizati, vt communicãtes passionibus eius & gloriæ, quorum dux exercitus est prothodiaconus Christi, & missus est prothomartyr Stephanus. Et sanctos patres nostros exercitatores: qui diuturniore martyrio consciẽtiæ certauerunt, qui circuierunt in melotis in pellibus caprinus, egeni, tribulati, affli-

S. Venerandi sunt fid.
Statuæ sanctorum erigendæ.
Deipara
Ioannes Baptista.
Matt. 11.
Apost.
Io. 20.
Rom. 8.
Prophetæ, Pastores.
Doctores.
Martyres.
S. Stepha.
Exercitatores hos vocamus confessores.
Hebr. 11.
Monach.

cti, in solitudinibus errantes, & montibus & speluncis & cauernis terræ: quibus dignus non erat mundus. Prophetas ante gratiæ tempus: Patriarchas iustos, qui prænunciauerunt Christi aduentum. Horum omniũ attendentes conuersationem: æmulemur & fidem, bonitatem, spem, zelum, vitam, tollerantiam paßionum, & sustinentiam vsque ad sanguinem vt & corona gloriç cum ipsis participemus. Amen.

S. imitandi sunt.

S. IVLIA VIRGO VIXIT
anno 400.

In vitis patrum de S. Eufraxia.

Domina mi soror Eufraxia (dicebat moriẽti S. Eufraxiæ) non obliuiscaris mei. Memento quia inseparabiliter tibi cõiuncta sum super terram. Supplica deo pro me: vt me non separet à te. Memento quia ego tibi prouidi bona certamina. Deprecare dominũ, vt me absoluat ab hac sarcina carnis, vt merear tecum abire cum fiducia.

Orat. ad S. Eufraxiam.

Eadem Iulia ad abbatissam.

Beata Eufraxia orat.

Domina mea ora pro me, quia vocauit me Christus intercedente pro me beata Eufraxia.

S. AVGVSTINVS
vixit anno 420.

De Diuorum cultu.

Tom. 2. epis. 64. ad Aurelíũ episcopũ.

Comessationes, & ebria

Comessationes & ebrietates ita concessç & licitç putãtur, vt in honorem etiam beatißimorum martyrum, non solum per dies solennes, quod ipsum quis non lugendum videat, qui

hæc non carnis oculis inspicit, sed etiam quotidie celebrentur. Saltem de sanctorum corporum sepulcris, saltem de locis sacrorum, saltem de domibus orationum tantum dedecus arceatur. Quis enim audet negare priuatim, quod cum frequentatur in sanctis locis, honor martyrum nominatur?

tates illicitæ sunt in solẽnibus sanctorum & locis sacris.

Idem.

Sancti omnes, siue ab illo antiquo Abel, vsque ad Ioannem Baptistam: siue ab Apostolis vsque ad hoc tempus: & deinceps, vsque ad terminum seculi, in domino laudandi sunt, non in seipsis: quia & illorum anteriorum vox est, in domino laudabitur anima mea.

Tom.7.l.3. ad Bonifacium contra duas Epist. Pelagianorũ Laudantur S.ĩ domino. Psalm.33.

Idem.

Ecce sancti & docti viri, fama totius Ecclesiæ contestate Catholici, & creaturam Dei, & nuptias ab illo institutas, & legem p sanctũ Moysen datam, & liberum arbitrium naturæ hominis insitum & sanctos Patriarchas & Prophetas debitis prædicationibus ac cõgruis laudant: quæ omnia inique Manichæi partim negando, partim etiam detestando condemnant.

l.4.in easd. duas Pelagianorum epistolas. Hæretici sãctos abiiciũt quia eorum dominum oderunt.

Idem.

Quod hinc nobis calumniatur Faustus, quod martyrum memorias honoramus, in hoc dicens nos Idola conuertisse, non tam me mouet vt huic calumniæ respondeam, quam vt ipsum Faustum ostendam studio calumniandi, etiam ab ipsius Manichæi vanitatibus exorbitare voluisse: & in vulgarem atque Poeticam

Tom.6.l.21 contra Faustum ca. 21. Sancti non sunt Idola vt Manichæi improperabant.

paganorum opinionem, à quibus se alienissimum cupit videri, nescio quomodo incautum incidisse. Cum enim dixisset nos vertisse idola in martyres, quos votis, inquit, similibus colitis, defunctorum vmbras vino placatis & dapibus: sunt ergo vmbrę defunctorum? Nunquam hoc in vestris sermonibus audiuimus, nūquam in literis legimus. Immo contradicere soletis talibus opinionibus, asserentes animas mortuorum, magis minúsve purgatas, aut in reuolutiones ire, aut in grauiores aliquas pœnas: bonas autem in naues imponi, & in cœlo nauigantes transire hinc in illud phantasma terræ luminis, pro qua pugnando perierant: ita nullas animas circa suorum corporum sepulcra detineri: vnde igitur vmbræ defunctorum? Quæ substantia earum? qui locus? Sed maledicendi cupiditate Faustus quid profiteretur oblitus est: aut forte dormitans vmbras somniando dictauit: nec cū verba sua legeret, euigilauit. *Populus autem Christianus memorias martyrum religiosa solēnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum cōsocietur, & orationibus adiuuetur. Ita tamen vt nulli martyrum, sed ipsi deo martyrū, quāuis in memorias martyrum constituamus altaria.* Quis enim antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit: offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur deo, qui martyres coronauit, apud memorias eorum quos coronauit: vt ex ipsorū locorū admonitione maior quos imitari

Figmentum Manichaeum penes animā cum migrat à carpore.

An sint vmbra defunctorum.

Cur Christiani memorias martyrum deuote celebrant.

Non offerimus sanctis sacrificiū corporis Christi. Eadem ferme verba reperies tom. 5 li. 8. de ciuit. dei c. 27.

Differentia cultus Dei à cultu sanctorum.

affectus exurgat, ad acuẽdam charitatem, & in illos quos imitari possumus, & in illum quo adiuuante possumus. Colimus ergo martyres eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines dei, quorum cor ad talem, pro euangelica veritate passionem paratum esse sentimus. Sed illos tanto deuotius, quanto securius post incerta omnia superata: quanto etiam fidẽtiore laude prædicamus, iam in vita fœliciore victores quã in ista adhuc vsque pugnantes. At illo cultu, qui Græcè Latria dicitur, Latinè vno verbo dici non potest: cum sit quædam propriè diuinitati debita seruitus, nec colimus, nec colẽdum docemus nisi vnum Deum. Cum autem ad hunc cultum pertineat oblatio sacrificij, vnde Idololatria dicitur eorum, qui hoc etiam idolis exhibent: nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum prę-cipimus, vel cuiquam martyri, vel cuiquam sanctæ animæ, vel cuiquam Angelo, & quisquis in hunc errorem delabitur, corripitur per sanam doctrinam, siue vt corrigatur, siue vt caueatur. Ipsi enim sancti, vel homines, vel Angeli exhiberi sibi nolunt, quod vni deo deberi norunt. Apparuit hoc in Paulo & Barnaba cum commoti miraculis quæ per eos facta sunt, Lycaonij tanquam diis immolare voluerũt. Conscissis enim vestimentis suis, cõfitentes & persuadentes se deos nõ esse, ista sibi fieri vetuerunt. Apparuit & in Angelis sicut in Apocalypsi legimus Angelum se adorari prohibentem, ac

Differentia cultus Dei à cultu sanctorum.

Latriæ cultus soli Deo debetur.

August. Enarrat in Psal. 96.

Cur Paulus & Barnabas orat. etc. Act. 14.

Cur Angelus noluit adorari à Ioanne. Apoc. 19. & 22.

dicentem adoratori ſuo: Conſeruus tuus ſum & fratrum tuorum.

Idem.

Tom.10 ſer. 3.de plurib. martyr. & Pſal. S.interceſsio

Quotieſcunque fratres chariſsimi, ſanctorum martyrum ſolennia celebramus, ita *ipſis intercedentibus* expectemus à Domino conſequi temporalia beneficia, vt ipſos martyres imitando accipere mereamur æterna.

Idem.

Tom.8.concione 2. in Pſal.88. Natalitia ſanctorum.

Natalitia ſanctorum cum ſobrietate celebrate, vt imitemur eos qui præceſſerunt, & gaudeant de vobis, *qui orant pro vobis*: vt benedictio Domini maneat ſuper vos, fiat fiat.

Idem.

Tom 5.li.8. de ciuita. dei cap.27.

Nos martyres noſtros nec diuinis honoribus, nec humanis criminibus colimus, ſicut colunt Gentiles Deos ſuos, nec ſacrificia illis offerimus, nec eorum probra in eorum ſacra conuertimus.

Annotatio.

Sacra S. non ſunt ſacra Deorum.

Hic legãt qui volunt quam multum diſtent feſtiuitates & memoriæ ſanctorum, à ſacris deorum Gentilium: quæ tamen Vigilantiani confundunt. Ex ſuperioribus eiuſdem libri capitibus diſcant, dæmones malignos Idola à ſanctis angelis, & cæleſtis habitationis rationalibus creaturis non parum diſtare, vt & hodierni Gnoſtici mentiuntur.

Idem.

l.1. de conſenſu euãg.c.10 Imagin. S. Petri & Pauli.

Credo quod Ethnici pluribus locis ſimul Petrum & Paulum cum Chriſto pictos viderunt, quia *merita Petri & Pauli*, etiam propter eun-

dem paſsionis diem celebrius & ſoléniter Roma commendat.

Idem.

Quiſquis Angelorum diligit Deum, certus ſum quod etiam me diligit: quiſquis in illo manet & poteſt humanas preces ſentire, in illo, hoc eſt in deo, me exaudit. Quiſquis in ipſo habet bonum ſuum, in ipſo me adiuuat. *De vera relig. c. 55. Charitas ſãctorũ in nos.*

DE SANCTORVM *interceſsione.*

Idem D. Auguſtinus.

Vela quæ Deus cooperiri iubet pellibus arietinis rubricatis, ſignificant martyres ſanctos, *quorum orationibus propiciatur Deus peccatis populi ſui.* *Tom. 4. l. 2. q. ſuper exo. c. 108. Marty. orationibus propitiatur deus*

Idem.

Non ſolis beneficiorum effectibus, verumetiam ipſis hominum aſpectibus confeſſorem apparuiſſe Fœlicem, cum à Barbaris Nola oppugnaretur audiuimus, non incertis rumoribus ſed teſtibus certis. Nec ideo putandum eſt viuorum rebus quoſlibet intereſſe poſſe defunctos: quoniam quibuſdam ſanandis, vel adiuuandis, martyres adſunt: ſed ideo potius intelligendum eſt quod per diuinam potentiam martyres viuorum rebus interſunt: quoniam defuncti per naturam propriam viuorum rebus intereſſe non poſſunt. Quãquam iſta quæſtio vires intelligentiæ meæ vincat, quemadmodum opitulentur martyres iis, quos per eos certum eſt adiuuari. *l. de cura pro mortuis agẽda c. 16. S. Fœlix apparuit olim. Martyres adſunt nobis & quomodo.*

Idem.

Tom. 5. l. 21 de ciuitate Dei ca. 27. Quæ sit vis orationis sanctorum.

Ista liberatio quæ fit, siue suis quibusque orationibus, *siue intercedentibus sanctis*: id agit vt in ignem quisque non mittatur æternum.

Idem.

Tomo 8. Enarrat. in Psal. 108. Mortui quæ scire putãtur

Hæc saltem scire putandi sunt mortui, quorum sensus alibi est pro meritis, seu bene, seu male. Si enim illis nulla esset cura de nobis, non diceret Dominus illum diuitem dixisse qui tormenta apud inferos patiebatur: Habeo ibi quinque fratres, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Sed quomodolibet intelligant, qui hoc aliter intelligere conantur: & quia fatendum est non esse consequens, vt si sciunt mortui suos viuere, quia nec in locis pœnarum eos vident, vbi diues ille erat, nec in requie beatorum, vbi Lazarum & Abraham quamuis longè agnoscebat: ideo eos etiam illa quæ circa eorum charos aguntur, vel læta, vel tristia scire necesse sit. *Hoc dico paucos esse eius animi homines, qui post mortem suam, quid suis boni maliue: contingat, saltem dum viuunt negligant, atque omnino contemnant.*

Luc. 16.

Mortui non negligũt suos viuentes.

l. de cura pro mortuis agẽda. c. 15. Eadem quoque habes tom. 3. li. de spiritu & anima c. 29.

Proinde fatendum est nescire quidem mortuos quid hic agatur, sed dum hic agitur, postea verò audire ab eis, qui hinc ad eos moriendo pergunt. Non quidem omnia, sed quæ sinuntur indicare, etiam ista meminisse: & quæ illos quibus hæc indicant oportet audire. Possunt & ab Angelis, qui rebus quæ aguntur hic

præſto ſunt, audire aliquid mortui, quod vnumquemque illorum audire debere indicat, cui cuncta ſubiecta ſunt. Niſi enim eſſent Angeli qui poſſent intereſſe & viuorum & mortuorum locis non dixiſſet dominus Ieſus, Contigit autem mori inopem, & ferri ab Angelis in ſinum Abrahæ. Nunc ergo hic, nunc ibi eſſe potuerunt, qui hinc illuc, quem Deus voluit abſtulerunt. Poſſunt etiam ſpiritus mortuorum aliqua quæ hic aguntur, quæ neceſſarium eſt eos noſſe, & quæ neceſſarium non eſt eos non noſſe, non ſolum præterita vel præſentia verum-etiam futura ſpritu Dei reuelante cognoſcere: ſicut non omnes homines, ſed Prophetæ dum hic viuerent, cognoſcebant, nec ipſi omnia, ſed quæ illis eſſe reuelanda Dei prouidentia, iudicarat. Mitte quoque ad aliquos viuos ex mortuis, ſicut è contrario Paulus ex viuis in paradyſum raptus eſt, diuina ſcriptura teſtatur. Nam Samuel Propheta defunctus viuo Sauli etiam Regi futura prædixit: quamuis nonnulli non ipſum fuiſſe, qui potuiſſet Magicis artibus euocari, ſed aliquem ſpiritum tam malis operibus congruentem, illius exiſtiment ſimilitudinem figuraſſe: cum liber Eccleſiaſticus, quem Ieſus filius Syrach ſcripſiſſe traditur, & propter eloquij nonnullam ſimilitudinem Salomonis eſſe pronunciatur, contineat in laude Patrum, quod Samuel etiam mortuus prophetauerit. Sed ſi huic libro ex Hebræorum, quia in eo non eſt, ca-

Quomodo mortui ſcire poſſunt quæ hic aguntur.

Nota.

An animæ redire poſſint.

An Samuel verè excitatus fuerit.

1. Reg. 18.

Ad ſimplicianum q. 3.

Eccleſ. 46.

Deut. 34.

Matth.17. none contradicitur, quid de Moyse dicturi sumus, qui certè & in Deuteronomio mortuus, & in Euangelio cum Helya qui mortuus non est legitur apparuisse viuentibus? Hinc & illa soluitur quæstio, quomodo martyres ipsis beneficiis quæ dantur orantibus, indicant se intercesse rebus humanis, si nesciũt mortui quid agant viui.

Conclusio.

Idem.

Tom.9.tra. 84.in Ioan. & tom.10. serm.16.de verbis apost.

Ad ipsam mensam Dominicam non sic sanctos martyres commemoramus, quemadmodum alios qui in pace requiescunt, vt etiam pro eis oremus, *sed magis vt orent ipsi pro nobis* vt eorum vestigiis adhæreamus.

Idem.

li.22.de ciuitate dei c.9.

Si carnis in ęternum resurrectio, vel non prænenit in Christo, vel non ventura est, sicut prenunciatur à Christo, quare martyres tanta possunt, qui pro ea fide, qua hæc resurrectio prædicatur, occisi sunt? Siue enim quæ per martyres fieri dicuntur, *eis orantibus tantum & impetrantibus, non etiam operantibus fiant*, siue alia fiant istis, alia illis modis qui comprehendi nullo modo à mortalibus possunt: & profecto attestantur hæc fidei in qua carnis in ęternum resurrectio prædicatur,

Orãt & impetrãt sancti

Idem.

cap.10.seq. Martyres non sunt dij.

Nobis martyres non sunt dij, quia vnum eundémque Deum & nostrum scimus & martyrum: nec tamen miraculis quæ per memorias martyrum nostrorum fiunt, vllo modo com-

paranda sunt miracula quæ facta per templa perhibentur Gentilium. Verum si quæ similia videntur, sicut à Moyse magi Pharaonis: sic eorum dij victi sunt à martyribus nostris. Fecerunt autem illa dæmones eo fastu impuræ superbiæ, quo eorum dij esse voluerunt. Faciunt autem ista martyres vel potius; deus, vel orantibus aut cooperantibus eis: vt fides illa proficiat, qua eos non deos esse nostros, sed vnum Deum habere nobiscum credamus.

Exod. 8.

Quomodo sancti miracula faciant

Idem.

Cum sanctos in oratione inuocatis, sic oportet de eis cogitare constitutis in gloria ęternę claritatis, scilicet splendidissima lumina longe prę fulgore solis lucentia, quę omnia bona pleniter in Dei visione habeant, & cunctis se inuocantibus potenter subueniant.

l. de cognitione vera vitæ cap. 9.

Quid de sanctis cogitandum.

Idem.

Commendemus nos orationibus diui Stephani. Multo enim magis tunc exauditur pro bene oratoribus suis à regnante Deo & domino nostro Iesu Christo.

Tom. 10 ser. de sanctis.

S. Stephani intercessio.

Idem.

Fratres igitur cum toto mentis affectu beatissimæ virginis *nos intercessionibus cõmittamus, omnes eius patrocinia omni nixu imploremus*, vt dum nos eam supplici obsequio frequentamus in terris, ipsa nos sedula prece commendare dignetur in cœlis. Neque enim dubium, quę meruit pro liberandis proferre precem, posse plus

Ser. 2. de assumptione Mariæ.

S. Mariæ Intercessio.

omnibus liberatis impendere suffragium.

Idem.

Tomo 7. l. 5. de Baptismo contra Donatistas c. 17

S. Cypriani intercessio.

Orationibus D. Cypriani adiutus, discam si potero per literas eius quanta pace per eum Ecclesiam suam dominus & quanto silentio gubernauerit.

Idem.

Idem in Psal. 58.

Omnes Martyres qui cum Christo sunt interpellant pro nobis. Non transeunt interpellationes eorũ, nisi cum transierit gemitus noster

Idem.

l. 2. q. in Exod. c. 108.

Deus propitiatur peccatis populi sui, orationibus sanctorum Martyrum.

ORATIONES S. AVGVSTINI *ad sanctiss. Mariam Dei matrem & omnes sanctos.*

Oratio ad S. Virginẽ Matrem Mariam.

O Beata Maria, quis tibi digne valeat iura gratiarum, & laudum pręconia impendere, quę singulari tuo assensu mundo succurristi perdito? Quas tibi laudes fragilitas humani generis persoluat, quę solo tuo commercio recuperandi aditum inuenit? Accipe itaque quascunque exiles, quascunque meritis tuis impares gratiarum actiones, & cum susceperis vota nostra orando excusa culpas nostras. Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis, & reporta nobis antidotum reconciliationis. Sit per te excusabile quod per te ingerimus, fiat impetrabile quod fida mente poscimus. Accipe quod of-

ferimus,redona quod rogamus,excuſa quod timemus,quia tu es ſpes vnica peccatorum, per te ſperamus veniam delictorum, & in te beatiſsima noſtrorum eſt expectatio præmiorum. *Sancta Maria ſuccurre miſeris,iuua puſillanimes, refoue flebiles,ora pro populo,interueni pro clero,intercede pro deuoto fœmineo ſexu. Sentiant omnes tuum iuuamen quicunque celebrant tuam commemorationem.* Aſsiſte parata votis poſcentium & repende omnibus optatum effectum. Sint tibi ſtudia aſsiduè orare pro populo dei, quę meruiſti benedicta redemptorem ferre mundi,qui viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen. *Eccleſiaſticum reſponſorium.*

Eadem oratio repetitur ſermone eiuſdem 2. de aſſumptione Mariæ qui eſt de ſanctis 35. tom. 10.

Idem ſic D. Laurentium inuocat

Oremus igitur D. Laurentium fratres, qui dum fide ſua perſecutoris flammas vicit, oſtendit nobis per fidei ignem gehennæ incendia ſuperari,& amore Chriſti diem iudicij non timeri. *S. Laurentij interceßio.*

EIVSDEM AD OMNES SANctos ratio.

Tomo 3. l. de ſpiritu & anima c. 59.

Vos qui meruiſtis conſortes fieri ſupernorum ciuium & perfrui æternitatis gloria, orate pro me ad dominum, vt educat me de iſto carcere in quo teneor captiuus & ligatus. *Oratio ad omnes ſanctos.*

Alia.

Fœlices ſancti Dei omnes,qui iam pertranſiſtis *l. meditat. c. 23.*

huius mortalitatis pelagus,& peruenire meruistis ad portum perpetuæ quietis, securitatis & pacis, securi & trãquilli semperq; festiui atque gaudẽtes. Obsecro vos per vestrã charitatẽ q̃ securi estis de vobis, soliciti estote de nobis: securi estis de vestra immarcessibili gloria: soliciti estote de nostra multiplici miseria. Per ipsum vos rogo qui vos elegit, qui vos tales fecit, de cuius pulchritudine iam satiamini, de cuius immortalitate iam immortales facti estis, de cuius beatissima visione semper gaudetis: estote iugiter memores nostri, subuenite nobis miseris, qui adhuc in salo huius vitæ circunstantibus agitamur procellis. Vos portæ pulcherrimæ, quę in magnam surrexistis altitudinem, adiuuate nos vile pauimentum longè inferius iacentes. Date manum, & erigite iacentes super pedes, vt conualescentes de infirmitate, fortes efficiamur in bello. *Intercedite & orate constanter, atque indesinenter pro nobis miseris, multumque negligentibus peccatoribus*, vt per vestras orationes vestro sancto consortio coniungamur, quia aliter salui esse nõ possumus. Sumus namque valde fragiles, & nullius virtutis homunciones, animalia ventris, & carnis mancipia, in quibus vix aliquod virtutis vestigium apparet. Et tamen sub Christi confessione positi ligno crucis ferimur, nauigantes per hoc mare magnum & spaciosum, vbi sunt reptilia, quorum non est numerus, vbi sunt animalia pu-

Oratio S. Augustini ad omnes sanctos.

Psal. 103.

silla cum magnis, vbi est draco sæuissimus semper paratus ad deuorandum, vbi sunt loca periculosa Scylla & Charibdis, & alia innumerabilia in quibus naufragantur incauti, & in fide dubij. *Orate dominum, orate piissimi, orate omnia agmina sanctorum & vniuersi cœtus beatorum, vt vestris precibus meritisque adiuti, salua naue & integris mercibus peruenire mereamur ad portum perpetuæ salutis & quietis, & continuæ pacis, & nunquam finiendæ securitatis.*

Alia

Non arbitror sic Nebridium inebriari ex fonte viuo, *vt obliuiscatur mei*, cum tu domine, quem potat ille nostri sis memor. *Tract. 88. in Ioannem.*

Idem Augustinus.

Beatus Cyprianus quidem iam corpore quod corrumpitur, non aggrauante animam, nec deprimente terrena inhabitatione sensum multa cogitantem serenius respicit veritatem, quam meruit adipisci per charitatem. *Adiuuet itaque nos orationibus suis* in istius carnis mortalitate, tanquam in caliginosa nube laborantes, vt donante domino, quantum possumus, bona eius imitemur. *li. 7. de bap. contra Donatistas c. 1. Adiuuari orat August. precib. S. Cypriani.*

Conclusio Ex eodem.

Cum ergo animæ nostræ aliquid secundum Deum desiderant, & hoc sibi à Deo per sanctos dari, siue corde, siue lingua, siue voce postulant, animæ sanctorum quibus est idem audire quod videre & è con- *Tom. 9. li. de cognit. vitæ cap. 39.*

Sanctis idē audire quod videre. uerſo, non voces ſed verba intuentes deſiderata eis à deo impetrant, vt habetis ſcriptum:
Pſalm.9. Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus.

DE SANCTORVM RELIquiis.

Tomo.3 l.de Eccleſiaſt. dogmat.c.73. *Sanctorum corpora, & præcipue beatorum Martyrum reliquias ac ſi Chriſti membra ſinceriſſime honoranda*, & Baſilicas eorũ nominibus appellatas, velut loca ſancta diuino cultui mancipata affectu piiſsimo & deuotione fideliſsima adeundas credimus. Si quis contra hanc ſententiam venerit, non Chriſtianus, ſed Eunomianus, & Vigilantianus creditur.

Honoranda corpora ſanctorum & eorum loca.

Idem.

Tomo.8. Enarra. in Pſal.44. Oſtendatur mihi Romæ in honore tanto templum Romuli, in quanto ibi oſtendo memoriam Petri. In Petro quis honoratur, niſi ille defunctus pro nobis? Sumus enim Chriſtiani, non Petriani.

Idem.

Epiſt 41. Nunc videtis ipſas huius ſeculi poteſtates, quæ aliquando pro ſimulacris populum Chriſtianorum perſequebantur, victas & domitas non à repugnantibus, ſed à morientibus Chriſtianis? & contra eadem ſimulacra, pro quibus Chriſtianos occidebant, impetus ſuos legeſque vertiſſe, *& imperij nobiliſsimi eminentiſsimum culmen ad ſepulcrum piſcatoris Petri, ſubmiſſo diademate ſupplicare.*

Ad ſepulcrum S. Petri Imperatores ſupplicant.

S. PONTIVS PAVLINVS EPIscopus Nolanus vixit anno 427.

Epist. 12. ad Seuerum. Epitaphium Clari.

Sic deus acciuit, sic nos Martinus amauit,
Sic & tu pariter clare tuere pares.
Non meritis sed amore pares, tu sancte valebis
Exorare pares, & meritis fieri.
Sic cum Martino socia pietate labores:
Vt vincant vestræ crimina nostra preces.

Preces sanctorum.

Idem.

Ibidem. Reliquiarũ honor.

Quod si dominus desiderium animę vestrę fecerit secundum fidem vestram, adiiciens ornatui & sanctificationi operum vestrorum, vt sacros cineres de sanctis gloriosorum Apostolorum aut Martyrum reliquiis adipiscamini, *cum sanctorum reliquiis decens quoque arbitramur, vt hoc etiam quod de cruce misimus pariter depositum, sacratumque veneremini.*

Crux veneranda.

Ibidem.

Divinum veneranda tegunt altaria fœdus,
Compositisque sacra cum cruce Martyribus.
Cuncta salutiferi coeunt insignia Christi,
Crux, corpus, sanguis Martyris, ipse deus.
Namque deus semper vobis sua munera seruat,
Atque vbi Christus, ibi spiritus & pater est.

Quæ olim cõdebantur in altari consecrando.

Idem.

Inclyte confessor meritis & nomine Fœlix,
Qui dominum Christum constanti voce professus,
Contemnendo truces meruisti euadere pœnas,
Virtus in æthereum sine sanguine Martyr honorem.
O pater, ô domine indignis licet annue seruis,
Vt tandem hanc fragili trahimus dum corpore vitã,

In Natali primo S. Fœlicis. Oratio ad S. Fœlicem.

Sedibus optatis & qua requiescis in aula,
Hunc liceat celebrare diem, pia reddere nostra
Vota, & gaudentes inter gaudere tumultus

Idem.

In 3. Natali eiusdem

Quem (deum) bonitate pium, sed maiestate tremendum

Alia oratio.

Exora, vt precibus plenis meritísque redonet
Debita nostra tuus, cum tu quoque magna tuorum.
Portio, regnantem Fœlix comitaueris agnum:
Posce ouium grege nos statui, vt sententia summi
Indicis, hoc quoque nos iterum tibi munere donet.

Idem.

In natali 6. eiusdem

Probat & sine corpore viuum
Christus, vt ostendat maiorem in morte piorum
Virtutem, quam vim in vita superesse malorum.
Ecce vides tumulum sacra Martyris ossa tegentem,
In spem non vacuam rediuiuæ condita vitæ.

Miracula ad reliquias sanctorum.

Vnde igitur tantus circunstat limina terror?
Quis tantos agit huc populos? quænam manus vrget
Dæmonas? inuitosq; rapit. frustraq; rebelli.
Voce reclamantes, compellit ad vsque sepulcrum
Martyris, & sancto quasi fixos limine sistit?

Tandem

Vnde emanet virtus reliquiarum.

At in sanctis diuinitus insita membris
Gratia, non potuit cum carne moríque tegíque
Illico, sed positis ex ossibus ecce micat lux,
Quæ medicis opibus meriti dare signa potentis,
Hactenus ex illo nonnunquam tempore parcit,
Et toto quo mundus erit fulgebit in æuo.

Lux sancti cineris.

Lux eadem sancti cineris per secula custos,
Martyris hac functi vitam probat, & bona Christi

Ad tumulum Fœlicis agens diffundit in omnes
Fœlicis late terras, mirabile nomen.

Et paulo post

Cum gratia tanta sepultos
Ambiat, & quanto rediuiua decore micabunt
Corpora, in obscuris cum sit lux tanta fauillis?

Reliquiarū virtus gloriā resurrectionis probat.

Oratio ad S. Fœlicem

Captiuos en sancte tuos tibi plebe sub omni
Victor ago, & simplex iterum tibi mando tuendos,
Conserua reduces, dignatus reddere raptos.
Sed tamen in me nunc ipsum bone respice Martyr:
Namque vides quid agas tibi adhuc superesse.

Ibidem. Oratio ad S. Fœlicem.

Alia

Hei mihi quanta meos vrgent peccata labores,
Qui tantam merui plagam Fœlice patrono,
Vicinóque simul, Fœlicis & insuper ipso
Natali miser excipere? heu magno reus ingens
Crimine, quem tunc pœna ferit, quem soluere sueuit.
Sancte precor succurre tuo, suo proximus adstas,
Et de contigua missus huc auribus æde,
Audisti fœlix fletum infœlicis alumni,
Siue modo excelso lateri coniunctus adhæres
Ante thronum magni regis confessor amicus
Pauperis an venerande tui trans nubila vocem
Accipis aure dei, neque temnis, sed petis illic
Qua mihi deportes Christo miserante salutem.
Ergo veni fœlix, animæq́ perenne patronus,
Nunc pro corporeo medius mihi curre periclo, &c.

In natali 7. eiusdem.

Alia oratio ad S. Fœlicem.

S. Fœlix Patronus.

In alia ad Christum

Sanctis sine fine tuis deuota ferentes
Obsequia, exiguo magnos veneramur honores

In fine Natalis 9.

Veneramur sanctos vt sint exoratores pro nobis. *Sperantes illis exoratoribus, vt tu*
In nobis operum pœnas perfecta tuorum.
Culmina: & extructis habitator mentibus adsis.

Annotatio.

Aspersi sunt Natales S. Fœlicis à S. Paulino Nolano pluribus aliis exclamationibus & precationibus quas consulto prateriј, ne tadium lectori parerem.

Hunc nonnulli non distingunt à superiore. *In vita S. Ambrosij.*

PAVLINVS PRESBYTER MEdiolanensis *vixit anno 429.*

Translato corpore Martyris Nazarij ad Basilicam Apostolorum, vbi pridie sanctorum Apostolorum reliquiæ summa omnium deuotione positæ fuerant, cum tractaret Episcopus, quidam de populo, repletus spiritu immundo clamare cœpit se torqueri ab Ambrosio. At ille *Sancti torquent damones.* conuersus ad eum ait. Obmutesce diabole, quia non te torquet Ambrosius, sed fides sanctorum, & inuidia tua, quoniam illo vides ascendere sanctos homines, vnde tu deiectus es.

SEDVLIVS EPISCOPVS *vixit anno 430.*

Carminum lib. 2. *Et velut in spinis mollis rosa surgit acutis,*
Nil quod lædat habens, matremque obseruat honore:
S. Maria Virgo sine vlla labe. *Sic Eua de stirpe sacra veniente Maria*
Virginis antiqua facinus noua Virgo piaret.

Ibidem. *Idem.*

Oratio S. Dullij ad D. Virginē. *Salue sancta parens enixa puerpera regem,*
Qui cœlum terramq́; tenet per secula, cuius
Numen & æterno complectens omnia gyro,
Imperium sine fine manet, quæ ventre beato
Gaudia matris habens cum virginitatis honore,

Nec

Nec primam similem visa es nec habere sequentem,
Sola sine exemplo placuisti fœmina Christo.

IOANNES CASSIANVS
vixit anno 434.

Charitas nullo intercipietur tempore: non solum enim in præsenti modo vtiliter operatur in nobis, etiam in futuro sarcina corporeę necessitatis abiecta, excellentior multo atque efficacior permanebit, nullo vnquam corrumpenda defectu, sed per incorruptionem perpetuam flagrãtius deo atque intentius adhæsura.

Collat. Abbatis Moysi ca.11. *Perfectior charitas in cælo, quam in terra.*

Illatio.

Si permansura est in futuro seculo charitas excellentior & efficacior, sanè cum eius conditio sit, vt non quærat quæ sua sunt, sed iuxta Christi verbum ad fundendas pro inimicis etiam orationes, & bona indulgenda promoueat, vt non otiosa sit iuxta Pauli verba: Sequitur sanè sanctos in cælo non otiosos esse, sed pro nobis sollicitos esse & deum exorare.

1. Cor. 13. c *Matth. 5.*

S. IOANNES IEROSOLYMItanus
Patriarcha ordinis Carmeli sedet post Cyrillum Ierosolymita. anno 400.

Per perfectionem dilectionis deuenitur ad experimentalem gustum diuinæ virtutis, & gloriæ cœlestis dicente Domino: Qui diligit me diligetur à Patre meo: & ego diligam eum & manifestabo ei meipsum. Sed quoniam qui nõ diligit fratrem quem videt, non potest Deum diligere quem non videt: Ideoque proximum debes sicut & teipsum, in bono & non in malo diligere. Hoc in proximo amare & operari

l.1. de instit. primorũ monach. in lege veteri exortorũ & in noua perseuerantiũ ca.6. *Dilectio sanctorum tendit ad reductionẽ errantium.*

debes per quod iustus fiat si malus est: aut per quod iustus permaneat, si bonus est.

Illatio.

Iam si gloria illa cœlestis perfectionem præ se fert dilectionis: illius verò perfectio sic erigitur in Deum, vt etiam flectatur ad proximum: adeò vt qui eam adeptus est, hoc amat & hoc operatur in proximo, vt iustus fiat si malus est: aut iust⁹ permaneat, si bon⁹ est: liquido consequitur ea in nos sanctos in cœlo affectos esse charitate, vt non tantum nos diligere, sed & amare & operari velint in nobis, aut per quod iusti efficiamur, si deprauati sumus: aut si boni per quod in iusticia perseueramus.

Idem.

l. 6. cap. 5. Considerantes religionis huius, Carmeliticæ, professores Deum prędecessoribus eorum per visionem prædictam specialiter reuelasse infantulam quandam nascituram, quæ ex vtero matris suæ munda ab omni peccati sorde egrederetur: & instar eorum virginitatem spõtaneam amplexaretur, de qua virgine Deus homo nasceretur, contemplantes etiam ipsi hæc omnia postmodum fuisse adimpleta: & genus humanum per hanc virginem accepisse à filio dei desideratum ab eis pluuiæ, id est gratiæ beneficium: *curauerunt cum deuotione assiduè deseruire huic virgini*, dudum eorum professoribus reuelatæ, ac desideratæ, ac postea eis exhibitæ.

Esa. 7.

S. Maria sine peccato originali.

Carmelitæ se titulo D. virginis Mariæ insigniuerũt ante annos mille quingentos.

Idem.

Ibidem. In memoriam visionis de ortu huius virginis præostensæ sancto Prophetæ Helyæ, sub spe-

cie nubeculæ aſcendentis de mari in Carmelum:monachi prædicti(Carmelitæ)anno incarnationis filij Dei octogeſimo tertio diruentes ſuum Semnion antiquum, *ædificauerunt huius primæ virginis Deo dicatæ capellam in monte Carmeli,iuxta fontem Helyæ*, in ſitu illo in quo idem orans nubeculam viderat: vbi ſeipſos huic virgini commendantes ſingulis diebus in ſeptem horis canonicis ad effundendum dictæ virgini & eius filio ſedulas preces & ſupplicationes atque laudes etiam tunc ſemper conuenerant.

Carmelitæ anno 83. incarnationis ſacellū S. mariæ in monte Carmelo conſtruxerunt.

Carmelitæ ſe ſemper precibus D. virgini mariæ cõmendarunt.

RVFFINVS AQVILONIENſis Presbyter vixit iiſdem temporibus.

Iuliani temporibus, velut relaxatis frenis, efferbuit in omnem ſæuitiã feritas paganorum. Ex quo accidit vt apud Sebaſten Palęſtinæ vrbem ſepulcrum Ioannis Baptiſtæ mente rabida & funeſtis manibus inuaderent, oſſa diſpergerent,atque ea rurſum collecta igne cremarent, & ſanctos cineres pulueri immixtos, per agros & rura diſpergerẽt. Sed Dei prouidentia factũ eſt, quoſdam de Hieroſolymis ex monaſterio Philippi hominis Dei,orationis illuc cauſa per idem tempus veniſſe. Qui cum tantũ nefas,humanis quidem manibus, ſed ferina mente fieri viderẽt,mori gratius habẽtes,quã huiuſcemodi piaculo funeſtari, inter eos qui oſſa ad exurendum legebant mixti,diligẽtius inquantum res

Hiſt. Eccleſiaſt. lib. 2. ca. 28.

Impietas gẽtiliũ in reliquias S. Io. Baptiſtæ.

Fideles colligũt ossa dispersa S. Io. Baptistæ. patiebatur, ac religiosius congregantes, furtim se, vel stupentibus, vel insanientibus subtraxere, & ad religiosum Patrem Philippum venerandas reliquias pertulere. Ille supra se ducens tantum thesaurũ propriis seruare vigiliis, ad Pontificem maximum tunc Athanasium, hostiæ immaculatę reliquias per Iulianum Diaconum suum, post etiam Palestinæ vrbis Episcopum mittit. Quas ille susceptas paucis arbitris, sub cauato sacrarij pariete inclusas Prophetico spiritu, *Reliquiæ S. proficuæ.* *profuturas, generationi posteræ confirmauit:* quibus nunc deiectis & prostratis Idololatriæ vestigiis, in ædibus quondam prophanis aurea tecta consurgerent.

Idem.

lib.1.ca.35. Dedit & aliud Iulianus vecordiæ suę, ac lenitatis indicium. Nam cum Daphnis in suburbano Antiochiæ, iuxta fontem Castalium litaret Apollini, & nulla ex his quæ quærebat responsa susciperet, causasque silentij percontaretur à sacerdotibus dæmonis, aiunt Babylæ martyris *Dæmon cõticescit ob præsentiam reliquiarum S. Babylæ.* sepulcrum prope assistere, & ideo responsa nõ reddi. Tum ille venire Galilæos, (hoc enim nomine nostris appellare solitus erat) & auferre sepulcrũ martyris iubet. Igitur Ecclesia vni- *Processio & deportatio reliquiarum.* uersa conueniens, matres & viri, iuuenes virginésque, immẽsa exultatione succincti, *trahebant longo agmine arcam martyris, psallentes summis clamoribus,* & cũ exultatione dicentes: Cofundantur omnes qui adorant sculptilia, & qui confidunt in simulacris suis.

Illatio.

Ex his non tantum ſanctarum reliquiarum virtus, iiſque debitus honor colligitur, ſed & Hagiomachorum propugnaculum euertitur, qui nos idololatriæ inſimulant, quod ſanctos veneramur. Atqui fideles iſti dum longo agmine ſancti Babylæ reliquias proſequuntur, & eas quidem honorant, Idololatriam deteſtantur, dicentes: Confundantur omnes qui adorant ſculptilia.

ABBAS ISAAC VIXIT *anno* 430.

Tunc perfectè cõſummabitur in nobis illa noſtri ſaluatoris oratio, qua pro ſuis diſcipulis orauit ad Patrẽ dicens: Vt dilectio qua dilexiſti me in eis ſit & ipſi in nobis. Et iterum: vt omnes vnum ſint, ſicut & tu Pater in me, & ego in te: vt & ipſi in nobis vnum ſint, quando Dei illa perfecta dilectio qua prior nos ille dilexit, in noſtri quoque trãſierit cordis affectum: hac Dominica oratione completa, quam credimus nullo modo poſſe caſſari. *Collat. 10. Io. Caſsiani cap. 7. Io. 17. Ibidem. S. ſemper ap petunt nos illis vniri.*

Illatio.

Hæc verba prius ille pater adduxit, vt in quo noſter finis ſeu perfecta beatitudo conſiſtat, doceret. quæ è Chriſti dogmatibus elicuit, quibus nos in perfecta vnique perfectam beatitudinem aſſecuturi depingimur. Hæc porro noſtrum eſt cum Deo, & cum fidelibus omnibus: adeò vt nec beatus quis dicatur niſi & Deo ſit coniunctiſsimus, & fratribus, id eſt, Chriſti membris fidelibus. Videant igitur Hagiomachi

num & nobis compatiantur, nos diligant, & pro nobis sancti in cælo solliciti sint, cum perfecta charitate nobis conuertantur.

MERCVRIVS SOSOMENVS

vixit anno 437.

li.7.hist.ecclesi. cap.10. Imperator cognitis quæ Paulo olim Constantinopolitano Episcopo contigerunt, transtulit corpus eius, & in Ecclesia condidit, quam Macedonius persecutor eius ædificauerat, & quæ etiamnum secũdum nomen illius vocatur, maximum existens & clarißimum templum, id quod & multos veritatis ignaros, præsertim mulieres ac plures è plebe, in eam opinionem induxit, vt Apostolum Paulum ibi conditum esse putent. Circa autem idem temporis etiam Meletij reliquiæ Antiochiam sunt translatæ, & iuxta thecam martyris Babylæ repositæ. Fertur autem quod secundum Imperatoris iussum, per totam viam publicam, intra muros, in ipsas ciuitates more Romano assumptæ, & per vices ac Psalmodias in singulis locis cum honore, donec Antiochiam deportarentur, exceptæ fuerint.

Ecclesia in honorem S. Pauli Constantinopolitani.

Reliquiæ S. Meletij.

Processio cũ deprecatione reliquiarũ.

Idem.

Cap.21. Tempore Theodosij Imperatoris translatum est caput Ioannis Baptistæ, quod Herodias sibi ab Herode tetrarcha dari petierat. Thecam autem Theodosius in qua reliquiæ iacebant purpura inuoluit, abiẽsque abstulit, & ante vrbem Constantinopolitanã recondidit, in loco quem Hebdomon vocant, ibique templũ Deo erexit

Trãslatio capitis S. Ioãnis Baptistæ

& maximum & venustissimum.

Idem.

Cum quadraginta martyrum reliquię foderentur, adfuit & Pulcheria Imperatrix & Episcopus. Vinculis autem ferreis per eos solutis, qui eius rei gnari erant, sine negotio extrahitur etiam operculum, sub quo multum erat preciosi vnguenti, & in illo pixides duæ argenteæ inueniuntur, quibus sacræ reliquiæ continebantur. His inuentis Imperatrix Deo gratias agebat, quod tantæ esset apparitionis dignitatem sortita & sacras hasce reliquias inuenisset: *Deinde preciosissima theca martyres cohonestans collocat* eos iuxta diuum Thyrsum: simulque, vt par erat, publico festo indicto competentem pompam cum psalmodiis instituit, cui ego ipse quoque interfui. Et hæc sic esse gesta testificabuntur illi, qui in eo festo pręsentes extiterunt. Adhuc enim ferè omnes supersunt, eo quod illa multo post acciderunt, cum Proclus Constantinopolitanæ præfuisset Ecclesiæ.

Lib. 9. c. 11. Inuentio reliquiarũ 40 Martyrum. Vrna argentea.

Theca seu capsula Martyrum pretiosissima.

Idem.

Propheta Zacharias quem Ioas rex Iudæorum occidit, quamuis multis seculis sub terra iacuisset, corpore tamen integer apparuit tonsus, nasum habens iustæ magnitudinis, genas mediocriter subsidentes, caput breuius, & oculos paululum profundos, ac palpebris tectos.

lib. 9. hist. Eccles. c. 17. S. Zachariæ Prophetæ corpus integrum reperitur, & eius statura.

S. CYRILLVS ALEXANDRInus *vixit anno* 438.

S. Martyres neque Deos facimus, neq; adorare

lib. 6. contra Iulianũ Apostatã. *Martyres non sunt facti dij.*

consueuimus. Laudamus eos potius summis honoribus. Proinde non est indignum, immo etiam necessarium eos qui claris operibus gloriosi sunt perpetuis honorare laudibus. Et quoniam optimus iste (Iulianus) sanctos non finit absque reprehensione venerari, & nos autem non deos factos esse sanctos Martyres diximus, sed omni honore dignari consueuimus, &c.

Idem.

hi. 9. in leuit.

Quid sibi vult quod de anima diuitis Epulonis in inferno sepulti Christus Deus noster affirmat, non quidem parabolicôs, nam quando in parabolis loquitur, ipse se solet explicare, &c. Vnde diuiti tam perspicax cognitio quod cum magnum chaos & ingens esset inter animam sancti Abrahæ & ipsum, tam longè ipsum cognosceret & deprecaretur? Et vnde Abrahæ animæ tam viuax & potens auditus, vt epulonis animam posset audire, & cum eo colloqui, insuper quod quinque fratrum suorum in terra viuentium recordaretur damnata illa anima, adeo vt illos viuentes tunc intelligeret, ipsa in inferno sepulta? Profecto hic locus manifestã eorum cognitionem quæ ad nos pertinent in separatis animabus clare ostendit, & tantam quidem, quanta sufficit ad beatitudinem, aut miseriam pro qualitate suorum operum statuendam.

Sancti norunt orationes nostras.

S. ATTICVS EPISCOPVS CONstantinopolitanus vixit anno. 438.

Mentio S. Ioannis Chrysostomi fit cum defun

ctis, non solum Episcopis, sed & Presbyteris, diaconis, & Laicis ipsis, mulieribusque.

Idem.

Scribimus vobis de S. Ioanne Chrysostomo sacris tabulis inserto, de sententia precipue piissimorum principum, & omnium deinde Orientalium Episcoporum ipsorumque adeò Occidentalium: *vt memoria eius, propter orbis vniuersi pacem, coleretur.*

Epist. ad Cyrillum Alexandrinum. *Epist. ad Petrũ & Acesinus diaconos.* *canonizatio*

SOCRATES SCOLASTICVS

vixit anno 439.

Cum ex Orientis partibus Constantius venisset, regiam sepulturam Constantinus consequutus est, depositusque est in Ecclesia Apostolorum, quam ob eam ipse causam struxerat, ne Imperatores ac sacerdotes reliquiis Apostolorum destituerentur.

li. 2. hist. Ecclesiast c. 40 *Vt communes olim erãt sanctorum reliquia.*

THEODORVS CONSTANTInopolitanus cognomento Anagnosta, seu lector: Vixit circa annum. 500.

Synodus Nicena Calchedonem translata in tẽplo sanctæ Euphemiæ Martyris celebrata est. Possederat Pulcheria oratorias domos multas, eam etiam quę Laurentij Martyris erat.

Collectaneorum ex hist. Eccle. lib. 1.

Magnũ ortum est tempore Gennadij Imperatoris incendium altera Septembris, quod à nauali portu sumpto initio vsque ad Ecclesiam sancti Thomæ Apostoli, quam Amantij vocãt, peruenit. Marcianus verò Oeconomus ad tegulas sanctę Anastasiæ ascendit, & Euangeliis ma-

Templa sanctorum. *Ecclesia S. Thome & S. Anastasie Miraculum.*

nu prehensis,lachrymis & precibus domum illam illæsam seruauit.

Idem.

Lib. 2. Memoria S. Petri & Pauli cum deuotione celebrata.

Festus quidam senator Romanus cum ad Imperatorem Anastasium propter quasdam ciuiles necessitates missus ad Imperatricem venisset, adhortatus est, *vt memoria Coryphæorum Apostolorum Petri & Pauli multa cum reuerentia & veneratione celebraretur*. Quamuis itaque & antea celebrata esset,tamen ex petitione Festi multo amplius & splendidius Panægyris illa celebrari cœpit.

Paulo Post.

Idem.

Reliquiæ S. Timothei Andreæ, & Lucæ

Constantius filius Constantini imperauit annos 24. dies quinque. Et sub illo Constantinopolim venerunt reliquię sanctorum Apostolorum *Timothei* 8.cal.Iulij: *Andreæ & Lucæ* 5. no. Martij: collocatæque sunt in cõsecrato magno sanctorum Apostolorum templo.

Reliquiæ translatæ sub Theodosio Magno

Theodosius magnus imperauit annos 16. in quibus vna cum eo Arcadius filius ipsius imperauit annos duodecim.Sub ipsius Magni Theodosij Imperio reliquiæ sanctorum *Martyrum Terentij, & Africani* in Martyrium *sanctæ Euphemiæ* in Petram 10.cal. Octobris sunt depositæ.

Reliquiæ translatæ sub Arcadio

Sub Arcadij Imperio & Patriarcha attico Constãtinopolim allatæ sunt *reliquiæ sancti Samuelis*, & in Prophetico ipsius loco iuxta Hebdomum 12.cal. Iulij collocatæ sunt.

Reliquiæ translatæ sub Theodosio Iuniore

Sub imperio Theodosij iunioris filij Arcadij depositæ sunt *reliquiæ sancti Stephani, Laurentij &*

Agnetis in Martyrio *sancti Laurentij* 27. sept.& celebratur illic ipsorum memoria, ab eodem die vsque in hunc diem.

Deinde sub illius Imperio & Patriarcha Proclo *reliquiæ Chrysostomi* allatę sunt,& ad sanctos Apostolos depositæ 5. cal. Februar.

Sub nostri Imperio,&Patriarcha Gennadio, illatę sunt à Sirmio *reliquiæ sanctæ Anastasiæ*,& in Martyrio ipsius depositæ, quod in Embolis domini situm est.

S. SOPHRONIVS VIXIT *ante annos* 400.

Obdormierat quidam,& rursus vidit adsistentęs dictos Martytes,secúmque vt capesseret viam iubentes.Ille porro propensius ipsos sequebatur. Plane nouerat quantum ad se rediret lucri,si sanctos comitaretur.

L. de miraculis sanctorum Martyrum Cyri & Ioannis ad Theodorũ Hypodiaconum

Ibidem.

Vidimus & quosdam glorioso & illustri choro Apostolorum ac Prophetarum,è cœtu itẽ celebri Martyrum,quibus allecti erant Cyrus & Ioannes,qui & genibus flexis procidebant domino,capita demittentes, proque excitando nouo cultu interpellantes.Horum hęcverba erãt. Amantissime generis humani iubes-ne vt huic demus salutarem medelam?

Visio. Sanctorum. intercessio

S. THEODORVS ANTISTES *Studiensis vixit ante annum* 500.

Vos autẽ fratres huc incũbite ac scitote,etiã nũ propter dicta à sanctis patribus nostris, pariter

Dogmate de Honore imaginum.

loca in quibus facta est nostra salus veneranda. & à nobis humilibus, quod loca in quibus natus est Christus, sancta sunt, & habenda venerationi, atque adoranda prędicantur. *Et si quis illinc acceperit siue puluisculum, seu lapidem, eum adornat, atque complectitur quasi peculiarem thesaurum, aut sacras quasdam reliquias.*

Honor reliquiarum. S. THEODORVS EPISCOPVS *Pentapoleos, vixit ante annum* 500.

Vide l. 3. Damasceni de imaginibus. Vir quidam ex illius regionis primoribus nomine Dion, *multis donariis sancti Martyris templum exornauit*, insuper & altare & ad id amictum ex argenti bracteolis affabre fecit.

Templū & altare Martyris. S. PRIMASIVS EPISCOPVS IVstinopolitanus *vixit anno* 440.

l. comment. in Apocal. Memoria sanctorum in Missa. Piorum animæ mortuorum Martyrum non separantur ab Ecclesia quæ nunc est regnū Christi, *alioquin nec ad altare dei fieret eorum memoria, in communicatione corporis Christi.*

Idem.

l. 2. in Apoc. cap. 5. Orationes porro sanctorum quæ in cœlo offeruntur, gratiarum actiones sunt, congratulantium pro mundi salute, *& intercessiones pro paruulorum stabilitate.*

S. EVCHERIVS ARCHIEPISCOpus *Lugdunensis vixit anno* 440.

lib. 4. in lib. Reg. c. 20. Si Propheta Helisæus puerum suum Giezi absens corpore vidit accipientem munera, quanto magis in illo corpore spirituali videbunt sancti omnia, non solum si oculos claudant, verumetiam vnde sunt corpore absentes? Tunc enim perfectum illud de quo loquens Apostolo-

lus ait: ex parte ſcimus, & ex parte prophetamus, cum autem venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt. Itáne igitur cum venerit quod perfectum eſt, nec iam corpus corruptibile adgrauabit animam, ſed incorruptibile nihil impediet, *illis ſancti ad ea quę videnda ſunt oculis corporeis, quibus Heliſęus abſens ad ſeruum ſuum videndum non indiguit, indigebunt?* Nā hæc ſunt verba Prophetæ ad Giezi: Nónne cor meum erat tecum, quando conuerſus eſt vir de curru in obuiam tibi, & accepiſti pecuniam? Corde ſuo ergo dixit ſe hoc vidiſſe Propheta, adiutus quidem mirabiliter nullo dubitante diuinitus: ſed quanto amplius nunc omnes munere iſto abundabunt, cum deus erit omnia in omnibus?

Sanctorum cognitio argumento à minori ad maius probatur.

Scholium.

Quàm aperte ſcientiam ſanctorum validiſsimis argumentis confirmat. Ne enim tu mortuos ſanctos eſſe dicas, tanto illis maiorem ſuccedere ſcientiam docet, quanto Deum etiam perfectius contemplantur, Ne verò eos abſentia noſſe inficieris, viatorem Prophetam addunt, qui tamen quę Giezi ad Naaman fecerit, intellexit. Et vt non arguas, quod corporeo viſu careant: Heliſæum corde non oculis quę Giezi patrarat agnouiſſe oſtendit.

S. LEO PAPA VIXIT

anno 441

Sabbato apud beatiſsimum Apoſtolum Petrū vigilias celebremus, qui & orationes & ieiu-

ſerm. 8. de Ieiunio decimi menſis Vigiliæ.

nia, & eleemosynas nostras *precibus suis dignabitur adiuuare.*

Idem.

Ser.3.in die Assumptionis S.Petri. Festum S. Petri.

Oportet vos ad beatissimi Petri Apostoli gloriam contemplandam aciem mentis attollere,& hūc diem in illius potissimum veneratione celebrari.

Idem.

Serm.5.de Epiphania.

Confirmate amicitias cum sanctis Angelis, intrate in ciuitatem Dei, cuius vobis spondetur habitatio:& Patriarchis, Prophetis, Apostolis Martyribúsque sociamini. Vnde & illi gaudent, inde gaudete. Horum diuitias concupiscite, & per bonam æmulationem *ipsorum ambite suffragia.*

Suffragia sanctorum.

Idem.

Serm. De Machab. Festo ac Martyrio. Festum S. Machabaeorum.

Si ergo Charissimi non ducitis cum infidelibus iugum, solennem *hanc sanctorum Machabæorum diem celebretis,*& non solum Martyres ac Martyrum matrem, sed etiam illius memoriam iusto honore veneremini, qui hodie antiquam festiuitatem huius loci consecratione germinauit.

IACOBVS ARCHIDIACONVS

Edessenus vixit anno 446.

In vita sanctæ Pelagiæ. Corpus S. Pelagiæ auro & gemmis conditū. Cum cereis reliquiæ portatæ.

Cum nunciassem Hierosolymis S.Pelagiam requieuisse, sancti Patres venerunt cum diuersis monasteriis monachorum, & delatum est foras sanctum corpusculum eius:quod auro & lapidibus preciosis condigne posuerunt. Et venerunt omnia monasteria virginū, tā de Hierico quā ex Iordane vbi dominus baptizatus est:*cum cereis,lampadibus & hymnis, & sic deposita sunt*

sancta reliquiæ eius,& portatę à sanctis patribus.

S. IACOBVS ASCETA MARONIS *familiaris vixit anno* 446.

Nec me nec vllo alio tibi ô Theodorete opus est ad Deum intercessore. Habes enim Ioannē illum insignem, verbi vocem, domini præcursorem, *has pro te preces aßidue offerentem*. Esto bono animo habes Ioannem Baptistam. *Vellem autem amplecti & deosculari eius amabiles reliquias.* *Apud Theodoretum in historia Patrum quæ Theophilis dicitur.* *S. Ioan. baptista patronus est.*

Idem.

Quando hos ciuitatis Patronos (Martyres) qui à Phœnicia venerunt& Palęstina, cum Dauidica excepisti chorea, venit mihi in mentem cogitare, num hę essent illius insignis Ioannis reliquiæ,& non alterius Martyris, qui esset eiusdem nominis. Post vnum ergo diem ego quidē stabam ad hymnos decantandos: video autem quendam candida veste indutum,& dicentem: Frater Iacobe, cur nobis aduenïētibus non venisti obuiam? Cum autem rogarem quinam essent, respondit dicens. Qui à Phœnicia& Palęstina nuper venimus:& cum prompto & alacri animo nos omnes excepissent,& pastor & populus,& ciues& rustici, tu solus eorum honoris non fuisti particeps: innuebat autem eam, quæ fuerat, dubitationem. Tum dixi. Absentibus & vobis & aliis & vos honoro & adoro Deum vniuersorum. Rursus autem die sequenti eodem tempore cum ille ipse apparuisset: Vides, inquit, Frater Iacobe eum illic stantem: cuius quidem vestis est colore niui similis: est autem *Paulo post* *Reliquiæ S. Ioannis.* *Apparitio S. Ioannis Baptistæ.*

prope illum positus ignis clibanus? Cum autem ego illuc oculos conuertissem, & illum esse Ioannem Baptistam coniecissem, nam & vestitu erat indutus, & manum habebat vt baptisans: is est, inquit, quem tu coniecisti. Deinde audiui vocem dicentem, ne timeas ô Iacobe. *Magnus enim Ioannes Baptista tota nocte orat deum vniuersorum.* Facta enim fuisset magna cædes, nisi illius intercesionibus fuisset extincta diaboli audacia.

Oratio sanctorum.

lib. de curat. Græca. affectionum ser. 8. de Martyribus.

THEODORETVS EPISCOPVS

Cyri vixit anno 450.

Cum cætera omnia paulatim marcescere, abolerique Deus instituerit: Martyrum tamen gloriam incorruptam seruauit. Ac animæ quidem triumphatorum Martyrum in cœlesti nunc patria vitam agunt, angelorum choris insertę. Eorum verò corpora non singula quidem singulis monumentis cõduntur, sed ciuitates, oppida, paganique conuentus, hæc inter se sortito partiti sunt, laborantibúsque animis, ac ægrotis corporibus salutares eos confiteri non cessant. Nihiloque secius vrbium custodes, ac locorum præsides venerantur, quorum precibus, & interuentu apud Deum vtentes, per eos demum diuina munera consequuntur. *Sectis itaque eorum corporibus integra tamen vis & gratia perseuerat, tenuesque ac tantillæ reliquiæ totis parem habent nullásque in partes Martyri dissecto, virtutem.* Gratia enim quæ pollens vigénsque persistit, petentibus dona distribuit, fidei supplicantium liberalitatem suam commensa.

Conuentus ad sepulcra Martyrum.

Gratia S. reliquiarũ.

Idem.

Idem. *Ibidem.*

Antiochus quidem Deus vocatus est, & Caius *Caligula.*
qui Tiberio Imperatori successit: Vespasianus
quoque, & Hadrianus sibi templa ingentia ex- *Hadrianus.*
citarunt. Verũ & vitali simul aura, & impio ho-
nore priuati sunt. Martyrum verò templa con- *Templa & sepulcra Imperatorũ non sunt comparãda templis martyrum.*
spicua cernuntur, magnitudinéque præstantia,
omni præterea ornatus genere variata, splen-
dorémque quodãmodo pulchritudinis suæ la-
tè fundẽtia. Neque verò hæc per annum semel
aut bis, aut quinquies aduentamus, sed in eis sę- *Cõuentus ad solennia martyrum.*
penumero dies festos peragimus, sæpe diebus
singulis eorum martyrũ domino, laudes hym-
nosque cantamus. *Quique homines prospera sunt* *Ad martyres accedunt sani.*
valetudine, conseruari eam sibi à martyribus petũt,
qui verò ægritudinem aliquam patiũtur, sanitatem *Infirmi in-*
exposcunt. Insuper & steriles viri & mulieres dari *fœcundi parentes peregrini.*
sibi filios petunt, qui verò parentes sunt, integra sibi
& propria custodiri quæ consecuti sunt, dona. Item
qui peregrè aliquò proficiscũtur, petunt martyres si *Qui ex itinere redeunt.*
bi comites esse in via, vel potius itineris duces. Qui
verò iam sospites redierunt, gratias agũt, acceptum
beneficium confitentes. Non qui se ad deos acce- *Aliud deos adire, aliud martyres.*
dere arbitrentur, sed qui orent Dei martyres
tanquam diuinos homines, intercessorésque si-
bi eos apud Deum aduocent & precentur. Pie *Dona, & vota facta sanctis.*
verò fideliterque precatos ea maximè confe-
qui quæ desiderant, testantur illa quæ votorum
rei dona persoluunt, manifesta nimirum ade-
ptæ sanitatis indicia. *Nam alij quidam oculorum,* *Simulancra*
alij verò pedum, alij porro manuũ simulacra suspen- *Pedum.*

Manuū, ocu-lorum & cæterorum affixa marty. *dunt ex argento auro-ve confecta.* Gratissime nãque accipit eorum Dominus qualiacũque sint dona, nec exigua, nec vilia dedignatur: quippe qui ea pro ferentis facultate metitur. Hæc itaque omnium spectaculo exporrecta testantur morborum depulsionem, cuius ipsa certissima signa sunt, à sanitatem consequutis allata. Hæc inquam sepultorum ibi martyrum quæ sit virtus, ostendunt. *Virtus sanctorum.* Martyrum autem virtus, quem ipsi coluerunt deum, verum esse declarat. Cum itaque talem tantamque vtilitatem ex martyribus honore collato prouenire homines videatis, fugite quæso errorem dæmonũ, præuioque ductu martyrum facibusque vtentes, viam capescite quæ ad deum perducit, vt immortali æuo illorum choris & præsentia perfruamini.

Idem.

cap. 21. hist. quæ Theophilis dicitur. Intercessio & reliquiæ sanctorum. Dixi ego me & S. Ioannis Baptistæ credere orationibus, & aliorum sanctorum Apostolorum, & Prophetarum, quorum ad nos nuper delatæ sunt reliquiæ.

Idem.

cap. 1. Inuocatio sanctorum. Hoc mihi quoq; in presentia opus est auxilio, qui conor eorum vitam scribere sanctorũ, qui parum ante nos & nostris temporibus clarueꝛe, & veluti quasdam leges, iis qui imitari volent, velim proponere. *Horum ergo sunt preces inuocandæ*, & incipiendum est narrare.

Idem.

cap. 3. Vnũquodque ex duobus oratoriis, vnum quidem Apostolorum, alterum verò martyrum ac-

cepit reliquias. *Rogo autem vt per horum omnium interceßionem diuinum consequar auxilium.*

Breui constringit morem inuocandi sanctos tritißimum Theodoreto.

Scholium.

Obseruabis Christiane lector Theodoretum in vitæ cuiusque Patris fine orationem effundere, qua defuncti & iam gloria donati intercessionibus & benedictione releuari desiderat. Sic c.4. cum Eusebij vitam & obitum depinxisset, aliosque simul inseruisset, ad aliam (inquit) narrationem conuertenda est oratio, cum horum magnorum virorũ benedictionis rogauerimus vt scimus participes. In vita demum Publij c.5. Planè scio, inquit, quod si sanctorum memoriã fecero in hominibus, futurũ quoque, vt ij mei meminerint apud Deum. In vita quoque S. Symeonis Prisci sic orat.

Idem.

In fine hist. Patrum.

Ego autem nunc obsecro vt quam dare potest S. Symeon, eius consequar intercesſionem: & scio me consecuturũ. Omnino enim dabit petitionem imitans dei benignitatem. Adeò ferè semper optat eorũ orationibus adiuuari, quorum dicta exposuit vt ipse ex teipso obseruabis: quod prolixius reddere, tibi minus gratum putaui.

Idem Theodoretus.

Ego quoque obsecro eos, quorum vitam conscripsi, ne me despiciant procul degentem ab illorum spirituali chorea: sed trahant infra iacentem, & ad virtutis tollant altitudinem, & suo choro coniungant.

GEORGIVS PATRIARCHA *Alexandrinus vixit circa hæc tempora.*

In vita B. Ioãnis Chrysostomi.

Reliquiæ S. Ioã. Chryso. cum honore delatæ.

Vis reliquiarum.

Theodosius iunior iussit omni cum honore ac reuerentia deferri S. Ioannis Chrysostomi reliquias. Et iis dedit pallia nihil indigna excipiendis reliquiis. Illi ergo qui missi erant, cum ad Comanos peruenissent, reliquias ipsius venerabiles ac sanctas, è capsula siue feretro sæpeliendo corpori accommodo depromptas secum tulerunt, vti ab Imperatore fuerat eis conditum. Reliquiæ igitur vt primum relatæ sunt, quotquot in Ecclesia deprehensi tum sunt, concurrerunt ad vnum omnes, *vt supplices eum venerarentur.*

Idem.

Ibidem.

Virtus etiã pãni quo tegebatur corpus S. Chrysostomi.

Viri Comani cum vidissent attactu panni sepulcralis, quo S. Ioannis reliquiæ condebantur sanatum claudum, contemplati quod præter naturę ordinem factum fuerat stupendum miraculum, singuli quoque è vestimentis sepulcri quibus tegebatur preciosum illud ac venerabile corpus arripuerunt, *& sibi desumpserunt pro benedictione, & ad sanitatem morbo quouis laborantium.* Attulerũt & vestem magnifici sumptus, & cum primis splendidam qua cum cohonestarunt.

Ibidem.

Idem.

Oratio facta coniectis oculis in vrnam S. Ioã.

Sed enim Theodosius Imperator coniectis in vrnam S. Ioannis Chrysostomi oculis ac fronte, *supplicationem obtulit pro suis genitoribus Deũ,*

obſecrans vt indulgenter condonaret, quæ per ignorantiam iniuſte admiſiſſent.

PROCOPIVS GAZÆVS SOphiſtes *vixit eodem ferè tempore.*

li. commen in exod. *Preces ſanctorum.*

Cum tẽpus aduenisſet quo ſcelerati Iudæi funditus interirent, ſanctorum preces conſeruarunt reliquias, cum Romana arma cæteros abſumerent.

Idem.

li. comment in Gen.c.4

Ecce vox ſanguinis fratris tui Abel clamat &c. Hoc loco ſanguis pro anima accipi poteſt veriſsimè. *Nam Deus exaudit ſanctos, etſi mortui fuerint*, eos immortalẽ vitam viuere preſumendo.

PETRVS CHRYSOLOGVS ARchiepiſcopus *Rauennates vixit anno* 451.

ſerm.129.in D. Cyprianum marty. *Natalia ſanctorum vnde dicantur.*

Quoniã hodie Deo *in natali ſancti Cypriani conuenimus*, exultare nos conuenit & lætari. Natalem ergo ſanctorũ cum auditis Chariſsimi, nolite putare eum dici quo naſcũtur in terram de carne, ſed de terra in cœlum, de labore, ad requiem, de tentationibus ad quietem, de cruciatibus ad delicias nõ fluxas, ſed fortes, ſtabiles & æternas, de mundanis riſibus ad coronã & gloriam. Tales natales digne martyrũ celebrantur.

S. VIGILIVS EPISCOPVS TRIdentinus *& martyr vixit anno* 454.

In vita D. Siſinnij & aliorũ ad ſimplicianum. *Oratio ad S. Siſinnium*

Nunc me immeritum, S. Siſinni, vtroque conſortem paterno amore cõſolare, *& cum eiſdem ſanctis apud ipſos exorator accede*, quatenus poſſim die illa fimbriam aut ſacerdotũ, aut martyrum, iam omnibus ſepoſitis peccatis attingere.

S. PROSPER AQVITANICVS

Episcopus Regiensis vixit anno 455.

l.2. de vita contempl. c.4. Sanctos in cœlo ita patebunt singulorum singulis mentes, sicut corporalibus oculis subiacent facies corporales, quia humanorum pectorum tanta ibi erit, & tam perfecta munditia, vt habeant vnde mũdatori suo deo gratias agant: *Cognitio sanctorum Maxima.* Non vnde offensi aliquibus peccatorum sordibus erubescant, quia nec vlla peccata ibi, nec peccatores erunt, & qui ibi fuerunt iam peccare non poterunt.

Illatio.

Ex his facilè colligitur quanta sit sanctorum cognitio, in hæreticos qui negãt posse eos preces quæ hic illis diriguntur intelligere: cum tamen pleniore quã Prophetæ omnes viatores donati sunt scientia, maxime penes hæc, quæ ad eos pertinent.

Idem Prosper moriens hæc dixit.

Vide Ioan. Flaminium in Vitã S. Prosperi. Neque velim fratres discessum hunc à vobis meum arbitremini, sed ad longe meliorem statum accessum: vbi multo vtilior vobis sum futurus, si in dilectione, ad quam vos semper hortatus sum permanseritis, & mutuæ charitatis, *Sancti post vitam non deserunt nos* mandatorumque Dei memores eritis. Si enim putatis me potuisse vobis huc-vsque *qualem me futurum deinceps erga vos credere debetis*, vbi inexhaustum bonorum omniũ thesaurum attigero? Igitur abstergite iam lachrymas, & flendi finem facite, & gaudendum vobis hac in re magis, quam dolendum existimate.

S. VICTOR EPISCOPVS *Vticensis vixit anno 456.*

li.1.persecut.

Vt de neceſſariis loquar. Vvandali Arriani Baſilicam maiorem, vbi corpora ſanctarum martyrum perpetuæ & fœlicitatis ſepulta ſunt: Celerinæ quoque templum, vel ſtillitauorū & alias Baſilicas quas non deſtruxerant, ſuæ religioni licentia tyrannica mancipauerūt. Et ſic tali crudelitate furentibus, ab eorum contagione nullus remanſit locus immunis. Præſertim in Eccleſiis Baſilicíſque ſanctorum, cemiteriis vel monaſteriis ſceleratius ſæuiebant. *Africæ Eccleſiæ ſanctorum.*

Idem. *lib. eodem.*

Geniſerychus videns multos ex Barbaris Chriſtianiſmum & baptiſmum ſuſcepiſſe, iubet eos ligatis pedibus poſt terga currentium quadrigarum, inter ſpinoſa loca ſyluarum pariter interire: vt ducta atque reducta dumoſis lignorum aculeis, innocentum corpora caperentur: ita eos ligans vt exitum ſuum inuicem præuiderent. Qui cum vincti currentibus indomitis equis, plangentibus Mauris ſeſe mutuo conſpicerent vale ſibi in anguſto furore vnuſquiſque ita dicebat: frater ora pro me, impleuit Deus deſiderium noſtrum, taliter peruenitur ad regnum cœlorum. Itaque orando atque pſallendo gaudentibus Angelis pias animas emiſere, vbi vſque in hodiernum diem, non deſinit ingentia mirabilia Dominus noſter Ieſus Chriſtus operari. *Crudelitas in pios.* *Miracula ad ſepulcra martyrum.*

Idem.

lib. 3. circa finem. *Oratio ad omnes sanctos.* Deprecamini Patriarchę, de quorum stirpe generis nata est Ecclesia, quę nunc laborat in terris. Orate sancti Prophetæ cognoscentes afflictam, quam antea vaticinando præconio cecinistis. Estote Apostoli suffragatores eius, quam vt congregaretis, vniuersum orbem ascendente in vobis domino, vt equi velocissimi cursitastis. Præcipuè tu Petre beate, quare siles pro ouibus & agnis, à communi domino magna tibi cautela & solicitudine commendatis? Tu sancte Paule gentium magister, qui ab Hierusalem vsque Illyricum prædicasti Euangelium Dei, agnosce quod Vandali faciunt Arriani, & filij tui gemunt lugendo captiui. Vniuersique ingemiscite sancti simul pro nobis Apostoli, sed scimus quia indignũ vobis, pro nobis orare, quia ista quæ venerunt nobis ad probationem, non quomodo sanctis sed meritis malis supplicia debebantur. Sed & pro malis orate iam filiis, quia & Christus orauit etiam pro inimicis Iudæis.

S. FVLGENTIVS EPISCOPVS

Ruspensis vixit anno 480.

Serm. de laudibus Mariæ ex parte Saluatoris. Venite virgines ad virginem Mariam, & lætamini. Ponite maledictionem præuaricationis, & benedictionem restaurationis assumite. Proiicite dolores quos Eua per serpentem accepit, & quos per Angelum Maria suscepit honores assumite. Pellite tristitiam concipientes, gemitus parturientis abiicite, vt solus vobis iste virginis filius dominetur. Venite virgines ad Vir-

Omnes venire debent ad D. Virginẽ Mariam.

ginem, concipientes ad concipientem, parturientes ad parturientem, Matres ad matrem, venite lactantes ad lactantem, iuuenculę ad iuuenculam. Ideo omnes istos cursus naturæ virgo Maria in domino nostro Iesu Christo suscepit, vt omnibus ad se confugientibus fœminis subueniret, & sic restauraret omne genus fœminarum ad se venientium, noua Eua seruando virginitatem, sicut omne genus virorũ Adam nouus recuperat dominus noster Iesus Christus.

ARCADIVS ARCHIEPISCOPVS *Cypri vixit circa hæc tempora.*

In vitam S. Simeonis miraculo 132.

Contigit virum quendam negotiatorem ciuitatis Antiochiæ periculoso angore animi detineri, id procurante maligno dæmone, diuque ita anxietate vrgeri, vt compressione anheli spiritus pene illum suffocaret. Hic cum sanctum Simeonem adiisset, essetque eius deprecatione consecutus sanitatem, ita vt nullum videretur eatenus passus malum, in suam domum, regressus pro gratiarum actione erexit sancto illi imaginem in publico, & conspicuo omnibus ciuitatis loco, supra fores officinæ suæ. Vbi & miracula patrata sunt adeo vt infideles tandem sanctum & venerati sint, & crucis signo se armauerint.

Imago sancto Simeoni erecta ad quam miracula patrata sunt.

VINCENTIVS LIRINENSIS *vixit anno 490.*

In Hæreses. Hæretici omnes sanctos despuunt.

Hæreticorum nequitiam ego duplici odio dignam iudico, vel quod hęreseos venenum propinare aliis non pertimescunt: vel eo etiã quod

ſancti cuiuſque viri memoriam tanquam ſopitos iam cineres prophana manu ventilant, & quæ ſilentio ſepeliri oportebat, rediuiua opinione diffamant.

PROCOPIVS CÆSARIENSIS
circa hæc tempora vixit.

l.1.hiſt. *Reliquiæ ſanctorum ſalubres.* Iuſtinianus Imperator cum grauiter ægrotaret, medicorum auxilio deſtitutus, relicta arte humana fiduciam vertit ad reliquias S. quatuor Martyrum, qui olim quidem Rom. milites fuerant, ſicque in ſumma neceſsitate veris opinionibus adiutus eſt.

EVAGRIVS PRÆTOR
vixit anno 500.

l.1 hiſt. Eccleſ. cap.13. Theodoſius Imperator reuocatis quæ fieri iuſſerat, ſanctiſsimum Simeonem Martyrem precatus eſt, vt pro ſe ſupplicaret, & oraret, benedictionemque ſuam impertiret.

Idem.

Ibidem. Ardaburius autem Orientalium exercituũ dux, vna cum militaribus ordinibus quos ſecum habebat & reliquis in ipſa Mandra conſtitutus precioſiſsimum corpus beati Simeonis ne à vicinis ciuitatibus abriperetur, cuſtodiuit. *Miracula ad Reliquias S. Simeonis.* Cum maximis itaque miraculis, quæ in itinere quoque ædebantur ſacerrimum illius corpus Antiochiã deportatur quod & Leo imperator ab Antiochenis accipere petiit, ad quem Antiocheni preces obtendentes ad hunc modum ſcripſerunt. Quoniam ciuitas noſtra muros non habet, ſunt enim illi per indignationem deiecti,

ſacroſanctiſsimum corpus hoc adduximus, vt nobis & murus ſit & munitio. Imperator igitur huiuſmodi precibus motus, ſacrum corpus illis reliquit. Multa autem illius ad nos vſque ſeruata ſunt, cuius etiam ſacrum verticem cum multis ſacerdotibus vidi, cum celeberrimus Gregorius Epiſcopatu fungeretur, & Philippicus precioſas ſibi ſanctorum reliquias ad cuſtodiam Orientalium expeditionum mitti peteret.

Reliquiæ ſanctorum munimem ſunt ciuitati in qua quieſcũt.

Idem.

L.1.c.16.

Factum eſt Antiochiæ D. Ignatio adytum ſacrum & delubrum ſanctum, quod olim Tychæum fuit, ſuntque ſacræ illius reliquiæ cum ſacra pompa vehiculo in ciuitatem illatæ, & in templo reconditæ, vnde & publicum feſtum & communis omnium lætitiæ ad noſtra vſque tempora, per Gregorium ſacerdotum principem magnificentius inſtituta celebrantur. Sunt autem iſta ob eam cauſam facta, quod ex loco Deus ſanctorum memorias honorari voluit.

Feſtum S. Ignatij.

Memoriæ ſanctorum honorandæ ſunt.

Idem.

In Calchedonia Bithyniæ conſtructum eſt ſanctæ Euphemiæ Martyri templum. Hic locus æditus eſt, ſub tecto ſublimatus, ſicut illinc volentibus Martyribus ſupplicare, & ſacris adeſſe liceat. Intra teſtudinem verò ad Orientem adytum eſt decenter ornatum, in quo ſacro-ſanctæ Martyris reliquię, in vrna quadam oblonga ex argento admodum ſcite fabricata conduntur. Quæ vero miracula ab hac ſanctiſ-

Templũ & Capſa S. Euphemiæ.

ſima Martyre, temporibus quibuſdam edantur, cunctis eſt Chriſtianis manifeſtum.

S. PAVLVS ARCHIDIACONVS *Neopolitanus vixit anno* 520.

Vita S. Mariæ Ægyptiacæ

Senex Zozimas lachrymis pedes S. Mariæ Ægyptiacæ mortuæ abluens, & multipliciter effuſa prece, exorans pro omnibus eam nunc amplius deprecari, operuit terra corpuſculum adſtante Leone: & in Cœnobium reuerſus cum cuncta quę viderat, narraſſet, admonuit vt cum timore & amore magnaque fide celebrarent beatiſsimæ huius tranſitus diem.

Feſtum S. Mariæ Ægyptiacæ

S. BENEDICTVS ABBAS CASSInenſis *floruit anno* 530.

Cap. 14 ſuæ Regulæ Feſtiuitates ſanctorum

In ſanctorum Feſtiuitatibus ſicut diximus dominico die agendum, ita agatur: excepto quod Antiphonæ vel lectiones ad ipſum diem pertinentes dicantur.

Scholion ex Tractatu Cardinalis de Turre cremata in hanc regulam.

Imprimis adnotat morem Eccleſiæ de ſanctorum feſtiuitatibus. Hæ autem celebrantur primo vt eis vicem rependamus, quia ipſi iam celebrant feſtum de nobis, gaudentes cum Angelis dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. Secundo quia eos honorando rem noſtram agimus: nam eorum feſtiuitas noſtra eſt. Vnde Apoſtolus. Omnia noſtra ſunt, nos autem Chriſti. Charitas enim omnia facit communia. Tertio vt habeamus eos interceſſores pro nobis: 4 vt eos imitemur. 5, Vt ſecurius ſpem noſtram

in deum eleuemus, quod & mortales homines cęlo fruantur, 6 quod eos honorando etiam Deum honoremus: 7 vt eorum intellecta pulchritudine & munditia, confundatur homo de peccatis & immundiciis suis.

S. GREGORIVS PAPA VIXIT *anno* 530.

Serenitas vestræ pietatis religionis studio, & sanctitatis amore conspicua, propter eam quæ in honorem sancti Pauli Apostoli ędificatur Ecclesiam, caput eiusdem sancti Pauli, aut aliud quid de corpore ipsius suis ad se iussionibus, à me pręcipit debere transmitti. Sed hæc facere nec possum nec audeo. Nam corpora sanctorum Petri & Pauli Apostolorum tantis in suis Ecclesiis coruscant miraculis atque terroribus, vt neque ad orandum, sine magno illuc timore possit accedi. *Lib. 3. Epist. Indict. 12 Epist. 30 ad Constantium Augustam*

Idem.

Sanctorum Apostolorum virtutem, quos toto corde & mente diligitis, non ex corporali præsentia, sed ex protectione semper habebitis. *Ibidem*

Claßis quinta miraculorum

QVORVM OMNIVM QVOD RECENTIVS FACTVM EST, MILLE nos annis præcesſit.

Ex quarti libri Regum Cap. 13.

Contigit ante Christi aduentum annis 857.

Helisæi ossa suscitant mortuum.

MOrtuus est Helisæus, & sepelierunt eum. Latrúculi autem de Moab venerunt in terram in ipso anno. Quidam autem sepelientes hominem viderunt latrunculos, & proiecerunt cadauer in sepulcro Helisæi. Quod cum tetigisset ossa Helisęi reuixit homo, & stetit super pedes suos.

Ex D. Epiphanio Cypri Episcopo
Contigit ante Christi aduentum annis 613.

Lib. de vitis interitu Prophetarum.

Hieremias Propheta Anathothides, apud Taphnas in Ægypto à plebe lapidibus obrutus occubuit. Iacet vero in eo loco sepultus, quo dudum Pharao rex habitauerat, quamobrem Ægyptij postea magna cum religione colebant, vbi pluribus officiis ab illo se adiuuari cognouerunt.

Aſpides enim & vndarum belluæ (quas Nephod appellitant Ægyptij, Græci verò Crocodilos) eos interimentes, poſtulationis Hieremię beneficio ex illis finibus ſunt profligati, nec tā aſpidum furor quam ex flumine ratione pari beſtiarum inſidiæ. Quique vel hodie adhuc fideles reperiuntur, eodem in loco ſupplicare conſueuerunt, & ſumpto puluere morſibus aſpidum medentur, ferę quoque aquarum hinc aufugerunt.

Hieremiæ beneficio ægyptij liberātur ab infenſis belluis

Pulueris reliquiarum ſ. Ieremiæ virtus.

Ex eodem Contigit ante Chriſti aduentum annis 755. & anno mundi 3266.

Eſaias tumulatus eſt ſub quercu Rogel iuxta tranſitum aquarum, quas olim Ezechias rex obſtruxerat, cum eas vndas peruias efficeret. Fontem quippe deus Soleam cauſa Prophetæ effecit, quoniam priuſquam moreretur puſillum precatus eſt vti vndas illic effingere dignaretur. Et confeſtim demiſit illi cęlitus aquam viuentem, vnde ſortitus eſt locus appellationem Siloam, quod ſi quis interpretetur, ſonat demiſſum. Eoque ad hodiernum vſque diem aqua eructatur clanculum quo ſignificetur myſteriū. Cæterum quandoquidem Eſaię Prophetę iſtud acceptum referunt, in perennem huius rei memoriam populus accurate Prophetā iſthic ſolo cum honore & gloria reddidit, vt per eiuſdem interceſsiones, in conſummationem vſque ſeculi, aquæ eiuſmodi fructus impetretur, cui ſcilicet vſum referebant acceptum.

Ex eodem aliud Contigit circa annum mundi 3341 & ante Christum 621.

Propheta Ezechiel populo obiecit prodigium, cum precatus esset ad amnem Chobar. Quod videlicet cum deficerent vndæ fluminis eius, falcem desolationis sperare deberent in finibus terræ, & quando exundaret fluuius ille id signum esse reditus in Ierusalem,& contigit illud. Etenim in terra Spyriorum vir pius ille sepultus iacet. Multique ad monumentum eius confluunt ad precationem,& obsequium. Sane quando tanta eo frequentia vnà ad monumentum eius conueniunt, formidant Chaldæi ac metuunt ne illum auferant, quapropter egredientem comitantur & reducunt. Effecit verò Propheta consistere hic fluminis vndas, quo terga darent filij Israel trans ripam. Cæterum Chaldęorum aliquot audaciores populum ponè prosequi tentabant, quiquidem ad vnum omnes submersi sunt.

EX NICEPHORO CONTIGIT *anno domini* 48.

lib. 2. Historia Ecclesiasticæ c. 22.

Ad diuæ virginis Mariæ corpus plurima fiunt miracula. Cęci namque, prętet spem expectationemque omnem,oculis suis solem cernunt, surdis auditus suus datur, claudi gressus recipiunt:& vt semel dicam, omne morbi genus attactu solo prorsus cedit &profugit. Deinde cereis ardentibus prælatis, & vnguentis floribúsque sparsis, atque Angelis cœlitus pheretrum vel præeuntibus, vel stipantibus, vel etiam con sequentibus,

De cõductu corporis S. Mariæ Virginis.

ſequentibus, diuinis patribus & Apoſtolis mirifica quædam carmina concinentibus, intellectualis illa atque ſpiritualis arca, ex ſyó in Getſemani Apoſtolicis eam geſtantibus manibus fertur. At enim in hanc tantam lætitiam, moleſtum & durum quiddam incidit, quod ſilentio prætereundum non ſit. Quum enim diuinum illud tabernaculum, ita vt dictũ eſt, ad Getſemani portaretur, vbi dei genitrix ſepelire ſe mandauerat: Iudæi inuidia tabeſcentes, quum occultare non poſſent, eum qui in mentibus eorũ fouebatur, liuoris affectum producit. Inter quos aliis quidam confidentior, furibundusque magis (erat autem ex ſacerdotum ordine) cum ſacrum tabernaculum portaretur, impetu quodam præter rationem percitus, in id ferebatur, humi proſternere ſacram illam arcam, atque peſſundare in animo habens. Sed enim vindicta nequaquam moratur. Namque ab vlnis manus illius reciſæ, ex pheretro depẽdent. At quæ diuina natiuitate ſua, lætitia habitabilẽ orbem omnem repleuerat, ne in obitu quidẽ cuipiam moleſtia aut ærumnę alicuius cauſa futura erat. Porrò is cui hoc contigerat, quum malus quidem, ſed tamen non prorſus deſperatus & incurabilis eſſet, pœnitentiæ ritè prætẽdit remedium: & quoniam manus quas non habebat, protendere nequit, lachrymas profert. & ſimul cum ea reſipiſcentiæ diſciplina, cura quoque adeſt. Pheretrum enim conſiſtit, & manus ad refectionem, vnde deciderant accommodatæ

Cerei ardentes.

S. Maria iuſſerat ſe ſepeliri in Getſemani

Iudæis corp⁹ B. Mariæ rapere tẽtantibus manus ab vlnis reſcinduntur.

Agnoſcunt Iudæi peccatum ſuum.

(Petri id iuſſu factum) confeſtim priſtinum ſtatum ſuum recuperant. Vbi autem ad Getſemani peruentum eſt, ſepulturæ quidem illa, filium imitata traditur: per illum autem ad diuina tabernacula, ad ipſum ſcilicet Paradiſum, vbi & vitæ arbor conſita eſt, ratione ea, quam qui hæc fecit, Deus nouit, tranſfertur.

Ex eodem aliud Contigit circa annum Domini 52.

Lib.2.hiſto. eccleſiaſt.ca. 42.

Sancti Matthæi ſacrum tabernaculum in aureo repoſitum lecto, ſplendidiſque inuolutum veſtibus, palatio Fuluianus infert. Idque arcæ ferreæ, plumbo inſuper communitę incluſum, demittere in mare iubet, hoc ſic cogitans. Si is, qui illud ab igne conſeruatum tutatus eſſet, ab vndis quoque vt in ferrea vrna poſitum ſupernataret, vindicaret, ſe diis ſuis omnibus repudiatis, vni quem ille prędicaſſet Deo, per pietatis cultum ſeruiturum. Quum ergo ita in mare proiiceretur, ſtatimque diuina id cælitùs gubernãte manu in littore rurſum exponeretur: populus vniuerſus vrbe effuſus, Platone Epiſcopo prætereunte, hymnis laudibuſque à Matthæo prędicatum concelebrat Deum.

Capſula S. matthei in mare iactata ad littus defertur.

Ex Abdia primo Babyloniæ Epiſcopo contigit eo tempore.

Lib.7.hiſt. Apoſtolicæ.

Cum Hirtacus Æthiopiæ Rex nulla conſequi ratione poſſet vt Ephigenia ſibi copularetur,

fecit circundari ignem prætorio, in quo cum Virginibus Christi commanens, Domino suo die noctuque famulabatur. Sed cum per circuitum ignis arderet, apparuit Angelus Domini, cum Matthæo Apostolo, & dixit: Ephigenia firma esto, & noli expauescere hos ignes ad illum enim, à quo tibi sunt suppositi reuertentur. Igitur cum per gyrum prætorij sanctæ Ephigeniæ flammæ perstreperent, excitauit Deus ventum validissimum, & mutauit omne illud incẽdium à domo virginis suæ, & ita cõsumpsit palatium Hyrtaci, vt non inde potuerit aliquid ex facultatibus liberari. Ipse autem Hyrtacus cum suo filio vnico vix euasit: sed melius fuerat, incendio interiisse. Cæterum filium eius vehementissimus mox dæmon impleuit, qui illum cursu rapidissimo ad Apostoli Matthæi sepulcrũ adducens, à tergo manibus ab ipso diabolo colligatis, confiteri eum paterna crimina compellebat. Ipsum autem Hyrtacum elephantiæ vulnera, à capite vsque ad vltima pedum vestigia ligauerant. Quod cum medici curare non possent, ipse in se gladium ponens, illi incubuit, digno supplicio: vt qui à tergo Apostolum domini percusserat, ipse à recto seipsum stomacho perforaret.

Apparente S. matthæo ignis extinguitur.

Dæmoniacus fatetur potentiã S. matt.

Pœnæ eos sequuntur qui S. Matthæi honori inuiderunt.

Ex eodem Aliud contigit anno Domini 55.

Cum Mesdei regis Indiæ filius correptus esset à dæmonio, nec quisquã qui eũ sanaret, posset inueniri, succeśsit huiusmodi Mesdeo senten-

lib. 9. hist. Apost.

Collo appẽsa terra super quam.

iacuerant reliquiæ S. Thomæ apostoli sanat dæmoniacũ. tia, vt diceret: Vado & aperio sepulcrum, & tollens ossa de corpore Apostoli, suspendam filio meo, & curabitur. Ascendebat igitur secum cogitationes Mesdeus ad montem, & reuelauit ei se Thomas, dicens: In viuentes non credidisti, & in mortuos credis? Sed ne timeas, miserebitur & tui Dominus Iesus, & exhibebit tibi viscera misericordiæ suæ, propter bonitatem suam. Verùm vbi ascendit Mesdeus, reserato sepulcro, ossa inuenirẽ non potuit: quia iampridem reliquias sanctas, quidam de fratribus rapuerãt, & in vrbe Edessa sępelierant. Ea tamẽ quęcunq; rex in sepulcro reperit, humi, vel stercoris, supra quæ iacuerant reliquiæ Apostoli, auferens Mesdeus, & alligans filio suo ait: Credo tibi Christe nunc, quia recessit à me ille qui hominum turbat affectus, ne ad te visendum *Conuersio regis Mesdei per miraculũ* summa properatione contendam. Itaque vbi suspendit illa puero, statim sanatus est ex illa hora: & factum est gaudium magnum inter fratres, super cõuersione regis, ad regem cęlestem Christum Iesum, cui honor & gloria, in perpetua secula, Amen.

EX D. LINO S. PETRI DIS- *cipulo successore contigit anno domini. 71.*

Cũ Marcellus ad sepulchrũ S. Petri vigilaret, & ardenti eius desiderio fleret (statuerat enim in vita sua non separari à doctoris sui amantissimi

ſepulchro) venit ad eum beatus Petrus. Quem videns Marcellus & contremiſcens, illi velociter aſſurrexit, ſtetitque ante eum. Cui ait beatus Apoſtolus. Frater Marcelle, non audiuiſti vocem domini dicentis, Relinque mortuos ſepelire mortuos ſuos. Et Marcellus ait: Chare magiſter audiui. Tunc Petrus ad eum: Noli ergo quaſi mortuus mortuum videaris ſepeliſſe, flere: ſed tanquam viuus viuenti & gaudenti melius conlætare. Relinque mortuos ſepelire mortuos ſuos. Tu autem, vt per me didiciſti, vade, annuncia regnum dei. Quod cum gratia multa, cunctis fratribus Marcellus indicauit, *& ſuffragiis ſancti Petri ex omni parte fides credentium à deo patre confirmata eſt*, in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti, & in ſanctificatione ſancti ſpiritus. *Suffragia ſ. Petri poſt mortem.*

EX EODEM ALIVD CONTIgit circa id temporis.

Lib. de paſſione ſ. Pauli.

D. Paulus ligans ſibi de Plautillæ maphorte oculos, in terra vtrumque genu fixit, & collum tetendit. Spiculator verò in altum brachia eleuans, cum tota vi percuſsit, & caput eius abſcidit. Quod poſtquam à corpore præciſum fuit, nomen domini noſtri Ieſu Chriſti Hebraicè clara voce perſonuit: ſtatímque de corpore eius vnda lactis in veſtimenta militis exiliuit, & poſtea ſanguis defluxit. vitta verò qua ſibi ligauerat oculos, cùm eam quidam rapere vellent, *S. Paulus Romæ decollatur.* *Vitta qua velatus fuerat Paulus à Deo aſſumpta.*

Odor comprobat reliquiarum venerationem.

non comparuit. tanta etiam odoris ſuauitas fragrauit, & lucis immenſitas in momento illius decollationis cælitus ibi emicuit, vt mortalium oculi ſplendorem illum ſufferre, & humana lingua narrare nequiuerit odorem. Videntes autem omnes qui aderant, *gratiam dei in beato apoſtolo*, admirati ſunt valde, laudantes & confitentes per multam moram Dominum Ieſum Chriſtum æternum & inuictum regem, quem prædicauerat magnificus doctor & magiſter gentium Paulus. Reuertentes verò qui iuſsi fuerant accelerare interfectionem eius, peruenerunt ad portam ciuitatis, vbi inuenerunt Plautillam, laudantem & glorificantem dominum in omnibus quæ audiuit & vidit per ſanctum eius Apoſtolum. Et interrogauerunt eam cum irriſione, cur caput ſuum non operiret de maphorte quam præſtiterat Paulo. Quæ accenſa calore fidei, cum magnanimitate reſpondit. O vani & miſeri, qui credere neſcitis quæ oculis videtis, & manibus attrectatis. Verè enim habeo eundem quem illi porrexeram *pãnum, de infuſione ſanguinis ſui precioſum*. Nam de cælo veniens innumerabilium candidatorum caterua comitatus, illũ mihi veraciſsimus retulit. Et rependens gratiam pro benignitate in eum habita, dixit: Tu mihi Plautilla in terris obſequium præſtitiſti, ego tibi quam primum ad regna pergenti, officioſiſsimè obſequar. In proximo nanque pro te reuertar, & tibi regis inuicti gloriam demonſtrabo. Et extrahens Plautilla pannum à ſi-

Precioſæ reliquiæ.

nu, roſeo perfuſum ſanguine, illis oſtendit. Qui nimio pauore correpti, greſſu concito perrexerunt ad Cæſarem, quæ viderant & audierant nunciantes.

Mira Viſio ex eodem.3.

Longinus denique, Megiſtus, atque Aceſtus, ſicut eis conſtituerat Apoſtolus, primo mane venientes ad ſepulchrum eius, viderunt duos viros orantes, *& in medio eorum ſtantem Paulum.* Qui pertimeſcentes in viſu admirabili, horruerunt, & reformidauerunt accedere propius. *Oratio effuſa coram S. Paulo.*

Ex Soſomeno Contigit anno 436.

Quę ſingulis & quomodo in Michaelo, ſeu Eccleſia diuo Michaeli archangelo dicata, quæ in dextra parte nauigantium à ponto Conſtantinopolim ſita eſt, miracula contigerint narrare longum eſt. Quæ verò prouenerint Aquilino nobis noto, & in cauſis forenſibus ſocio, partim ab eo audiens, partim ipſe cognoſcens neceſſario pandam. Cum eum ardentiſsima febris rubris choleris mota comprehendiſſet, æſtuanti poculum dederunt medici, quod euomuit: moxque cum vomitu diffuſæ choleræ ſuperficié vultus eius ſimili ſui colore tinxerunt. Quãobrem quicquid comederet & biberet, euomebat. Cúmque hoc diu pateretur, nec eſca ad nutrimenta proficeret, hærebat ars medicorum: & dum morti vicinus eſſet, iuſsit ſuis vt ſe ad locum hunc ducerent credens aut illi ſe mori, aut langore priuari. Iacentique per noc- *Febricitans delatur in eccleſiam S. Michaelis ſanatur.*

ctem diuina virtus apparens præcepit, vt quicquid comederet, in huiusmodi potionem tingeret, quæ esset ex pipere & vino & melle confecta. Quo facto ab egritudine liberatus est: quippe cũ medicis ratione medicinę videatur esse contrarium calida pocula cholericis exhibere.

EX SANCTO AMBROSIO
contigit anno domini.310.

Sermone de S. Agnete.

B. Agnes cũ multis virginibus parentibus apparet.

Dum parentes beatæ Agnes (martyris) asiduis pernoctationibus vigilarent ad tumulum eius, vident in medio noctis silentio exercitum virginum, quę omnes auro textis cycladibus indutæ, cum ingenti lumine præteribant: Inter quas vident beatissimam Agnem simili veste fulgentem, & ad dexteram eius agnum niue candidiorem. Hæc itaque cum viderent parentes eius & qui simul erant, stuporem mentis incurrunt. Sed beata Agnes rogat beatas virgines parumper gradum figere. Et stans parentibus suis dixit, videte ne me quasi mortuam lugeatis, sed congaudete mihi & congratulamini quia cum his omnibus lucidas sedes accepi. Et illi sum iuncta in cęlis, quem in terris posita tota animi intentione dilexi. Et his dictis pertransiit. Hęc visio publice ab omnibus qui viderant quotidie vulgabatur. Vnde factum est vt post aliquantos annos ad Constantiam Constantini filiam hoc factum ab his qui viderant narrare-

Constantia Constantini

tur. Erat enim ipsa Constantia virgo prudentissima, sed ita obsessa vulneribus, vt à capite vsque ad pedes nulla membrorum pars libera remansisset. Accepto autem consilio, spe recuperandæ salutis venit ad tumulum martyris nocte & licet pagana, tamen credula animi intentione preces fideliter fundebat. Quod dum faceret, repentina somni suauitate corripitur. Et vidit per visum beatissimam Agnem talia sibi monita, præferentem: Constante age Constantia, & crede dominum Iesum Christum filium dei esse Saluatorem tuum, per quem modo consequeris omnium vulnerum quę in corpore tuo pateris sanitatem. Ad hanc vocem Constātia euigilat sana, & sic sana, vt nec signum in eius membris alicuius vulneris remaneret. Reuersa igitur ad palatium sanissima, facit gaudium & patri suo Augusto, & fratribus suis imperatoribus. Coronata ciuitas tota fit lætitia militantibus atque priuatis, & vniuersis audientibus hæc. Infidelitas gentium confundebatur, & fides dominica lætabatur. Intereà patrem & fratres Augustos rogat vt basilica beatæ Agnes construeretur, & sibi illinc mausoleum collocari præcepit.

filia infirma ad tumulum S. Agnes sanatur.

Visione conuertitur Cōstantia.

Basilica S. Agnes erecta.

EX GREGORIO NANZANZENO *contigit anno* 220.

Orat. in S. Cyprianum Martyrem.

Virgo quædam erat nobilis (Iustina) & decora, ob corporis elegantiam amore, propter mo-

rum præſtantiam æmulatione digna. Huius amore magnus captus eſt Cyprianus (antequam Chriſtianam fidem amplexatus eſſet, cum & Magię totus incumberet). Ille igitur animam ſanctam, & corpus non tangendum tentabat: ſed nullo vtebatur internuncio,non muliercula aliqua iam pridem ad negotiũ tale apta, ſed dæmone quodam & corporis & voluptatum amatore. At illa poſtquam malum ſenſit ac inſidias cognouit:Quid facit,& quid contra prauitatis molitur opificem? Omnibus aliis omiſsis ad Deum confugit, ac ſponſum ſuum contra cupidinem execrandam protectorem facit:Virginem quoque Mariam rogauit vt periclitanti virgini opem ferret ieiuniíque ac humi cubationis pharmacum obiecit & cupidinum flamma eſt extincta, veritatis autem accenſa vincit virgo,vincitur dæmon, tentator ad amatorem accedit,victum ſe prędicat,Cyprianus ad fidem conuertitur.

Virgo circũuenta magicis artibus orat ſ. Mariã virginem & eripitur.

Ex D.Hieronymo Contigit circa annum. 388.

D. Hilarionem humo obrutum, ante vrbẽ ſepultum,quàm mortuum nunciauerunt. Quod poſtquàm Palæſtinæ ſanctus vir audiuit Hæſychius,perrexit ad Cyprum, & ſimulans ſe velle habitare in eodem hortulo,vt diligentis cuſtodiæ ſuſpicionem accolis tolleret, cum ingenti vitæ ſuæ periculo, poſt decem ferè menſes corpus eius furatus eſt.Quod Maioniam deferens, totis monachorum & oppidorum turbis pro-

Tomo 2. in vita Hilarionis eremitæ.

Corpus S. Hilarionis poſt decem menſes integrum & fragrans.

ſequentibus: in antiquo monaſterio condidit, illæſa tunica, cuculla & palliolo: & toto corpore quaſi adhuc viueret, integro: tantiſque fragrante odoribus, vt delibutum vnguentis putares.

Ex Paulino Epiſcopo contigit circa annum 390.

Quo in tempore ſancti Nazarij martyris corpus, quod erat in horto poſitum extra ciuitatem, leuatum ad baſilicam apoſtolorum, quæ eſt in Romana, tranſtulit Theodoſius Imperator. Vidimus enim in ſepulchro quo iacebat corpus martyris, (qui quando ſit paſſus vſque in hodiernum diem ſcire non poſſumus) ſanguinem martyris ita recentem, quaſi eadem die fuiſſet effuſus. Caput etiam ita integrum atque incorruptum cum capillis capitis atque barba, vt nobis videretur eodem tempore quo leuabatur, lotum atque compoſitum in ſepulchro. Et quid mirum? quãdoquidem dominus hoc in Euãgelio antè promiſit, quod capillus de capite eorũ nõ periret. Etiã odore tãto repleti ſumus, vt omniũ aromatum vinceret ſuauitatẽ. Leuato corpore Martyris, & in lectica cõpoſito, ſtatim ad ſanctum Celſum martyrẽ, qui in eodem horto poſitus eſt cum ſancto ſacerdote ad orationem perreximus. Nunquàm tamen illum antea oraſſe in eodem loco compertũ habemus. Sed hoc erat ſignum reuelati martyris, ſi ſanctus ſacerdos ad locum ad quem nunquam antea fue-

In vita S. Ambroſij.

Corpus S. Nazarij martyris longo tempore poſt paſſionẽ eius repertũ velut recẽter mortuum.

rat oratum, isset. Cognouimus tamen à custodibus loci ipsius, quod à parentibus illis traditum sit, non discedere de loco illo per omnem generationem & progeniem suorum, eò quod thesauri magni in eodem loco positi essent. Et verò magni thesauri, quos nō ærugo neque tinea exterminat, neque fures effodiunt & furantur, quia custos eorum Christus est, & locus eorum aula cœlestis est, quibus viuere Christus fuit, & mori lucrum. Translato corpore martyris ad Basilicam Apostolorum, vbi pridie sanctorum Apostolorum reliquiæ summa omniū deuotione positæ fuerāt, cùm tractaret Episcopus, quidam de populo repletus spiritu immundo clamare cœpit se torqueri ab Ambrosio. At ille cōuersus ad eū ait: Obmutesce diabole, quia nō te torquet Ambrosius, sed fides sanctorum, & inuidia tua, quoniam illo vides ascēdere homines vnde tu deiectus es. Nam Ambrosius nō scit inflari. Quo dicto, ille qui clamabat obmutuit, prostratusque in terram est, nec amplius vocem qua obstrepi posset, emisit.

Dæmon torquetur à martyribus.

Ex eodem Aliud contigit anno 400.

In eadem vita.

Sisinij etiam & Alexādri martyrum, qui nostris temporibus, hoc est, post obitū sancti Ambrosij in Anauuię partibus persequētibus Gentilibus viris martyrij coronam adepti sunt, cum reliquias Mediolanenses summa cum deuotione susceperunt, adueniente quodam cęco & referente cognouimus, qui eodem tacto lectulo in

Cæcus contactu loculi S. Sisinij & Alexandri martyrū visum recuperat.

quo ſanctorum reliquiæ portabantur, lumen recepit, eò quod per viſum noctis vidiſſet nauem appropinquare littori in qua erat multitudo ablatorum. Quibus deſcendentibus ad terram, cum vnum de turba precaretur vt ſciret qui eſſent ij viri, audierit Ambroſium, eiuſque cõſortes. Quo audito nomine, cum deprecaretur vt lumen reciperet audierit, ab eo. Perge Mediolanum, & occurre fratribus meis qui illò venturi ſunt (deſignans diem) & recipies lumen. Erat enim vir (vt ipſe diſſerebat) de littore Dalmateno, nec ſe ante veniſſe in ciuitatem aſſerebat, priuſquam recto itinere reliquiis ſanctorum occurriſſet nondum videns: ſed tacto loculo videre cæpiſſe.

EX SEVERO SVLPITIO
contigit circa annum 400.

Paulus vir magni poſtmodum futurus exempli, cum oculũ grauiter dolere cæpiſſet, & iam pupillam eius craſſior nubes ſuperducta texiſſet, oculum ei Martinus panniculo contigit, priſtinamque ſtatim ei ſanitatem ſublato omni dolore reſtituit.

L. 5. de viti beati martini. Panniculæ contactu oculus eiectus reſtituitur.

Ex eodem Aliud eo ferme tempore.

Refrigerius mihi teſtis eſt, mulierem profluuio ſanguinis laborãtem, cum Martini veſtem (exemplo mulieris illius Euangelicæ) contigiſſet, ſub momento temporis fuiſſe ſanatam.

S. Martini veſtis contactu Hemorroiſſa ſanatur.

Visio ex eodem.

Visio Agnetis Theclæ & S. Mariæ.

Martinū nemo existimet fuisse mentitum. Dicam (inquit ille) vobis Sulpitio & Gallo, sed vos quæso nulli dicatis: Agnes, Thecla, & Maria mecum fuerunt, referebat autem nobis vultum atque habitum singularum.

Ex Augustino contigit ferè anno 424.

De ciuitat. dei lib. 22. c. 8. ad marcellium.

Vir tribunitius Hesperius qui apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum Cubedi appellatum, vbi cum afflictione animalium & seruorum suorum, domum suam spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogauit, nostros me absente præsbyteros, vt aliquis eorum illò pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit vnus, obtulit ibi sacrificiū corporis Christi, orans quantum potuit: vt cessaret illa vexatio: Deo protinus miserante cessauit. Acceperat autem ab amico suo terram sanctam, de Hierosolymis allatā, vbi sepultus Christus, die tertio resurrexit: eamque suspenderat in cubiculo suo, ne quid mali etiam ipse pateretur. At vbi domus eius ab illa infestatione purgata est, quid de illa terra fieret, cogitabat: quam diutius in cubiculo suo reuerentiæ causa habere nolebat. Fortè accidit, vt ego, & collega tunc meus Christus Symicensis Ecclesiæ Maximinus, in proximo essemus: vt veniremus, ro-

Spirituum reditio missa in malignos spirit. terra sancta appēsa fugat dæmones.

gauit, & venimus. Cumque nobis omnia retulisset, etiam hoc petiuit, vt infoderetur alicubi: atque ibi locus orationum fieret: vbi etiam possent Christiani ad celebranda, quę dei sunt, congregari. Non restitimus, factum est. Erat ibi iuuenis paralyticus Rusticanus, qui hoc audito, petiuit à parentibus suis, vt illum ad eum locum sanctum non cunctanter afferrent. Quò cum fuisset allatus, orauit: atque inde continuo pedibus suis saluus abscessit.

Aliud ante annum 420.

Victoriana villa dicitur, quæ ab Hippone regio minus triginta milibus abest. Memoria Martyrum est ibi medio Canensium, Geruasij & Prothasij: portatus est die eo quidam adolescens, qui cum de medio tempore æstatis equum ablueret in fluminis gurgite, dæmonem incurrit. Ibi cum iaceret, vel morti proximus, vel simillimus mortuo: ad vespertinos illuc hymnos & orationes cum ancillis suis, & quibusdam sanctimonialibus, ex more domina possessionis intrauit: atque hymnos cantare cœperunt. Qua voce ille quasi percussus, excussus est: & cum terribili fremitu altare apprehensum mouere non audens, siue non valens, tanquàm eo fuerit alligatus, aut fixus tenebat: & cum grandi eiulatu parci sibi rogans, confitebatur vbi adolescentem, & quando, & quomodo inuaserit. Postremò se exiturum esse denuncians, membra eius singula

Adolescens fere mortuus obsessus a dæmone ad memoriam S. Geruasij & Prothasij sanatur.

nominabat, quæ ſe amputaturum exiens minabatur atque inter hæc verba diſceſsit ab homine. Sed oculus eius in maxillam fuſus, tenui venula ab interiore quaſi radice pendebat, totumque eius medium quod nigellum fuerat albicabat. Quo viſo qui aderant concurrerant etiam alij, vocibus eius acciti: & ſe omnes in orationem pro illa ſtrauerunt: quanuis eum ſana mente ſtare gauderent, rurſus tamen propter oculum eius contriſtati, medicum quærendum eſſe dicebant. Ibi maritus ſororis eius, qui eum illò detulerat: potens eſt (inquit) deus ſanctorum orationibus, qui fugauit dæmonem, lumen ei reddere. Tunc ſicut potuit omnem lapſum atque pendentem, loco ſuo reuocatum, ligauit oratio: nec niſi poſt ſeptem dies putauit eſſe ſoluendum. Quod cum feciſſet ſaniſsimum inuenitur. Sanati ſunt illic & alij: de quibus dicere longum eſt.

Ex eodem, Aliud ante annum 425.

Virgo oleo benedicto peruncta à Dæmone eripitur.

Hipponenſem quandam virginem ſcio, cum ſe oleo perunxiſſet, cui pro illa orans preſbyter inſtilauerat lachrymas ſuas, mox à dæmonio fuiſſe ſanatam. Scio etiam epiſcopum ſemel pro adoleſcente, quem à dæmonio corruptum vidit, oraſſe, illumque illico dæmone caruiſſe.

Dæmoniacus ſanatur Epiſcopi precibus.

Aliud eodem ferme tempore.

Homo ſartor Caſula amiſſa recuperês ad Mar

Erat quidam ſenex Florentius Hypponenſis noſter: homo religioſus & pauper: qui ſartoris ſe arte paſcebat, caſulam perdiderat, & vnde ſibi emeret, non habebat: ad viginti Martyres, quorum

quorũ memoria apud nos eſt celeberrima, clara voce, vt veſtiretur orauit. Audierunt eũ adoleſcentes, qui forte aderant, irriſores: eumq́ue diſcedentem exagitantes, proſequebãtur: quaſi à martyribus quinquagenos folles, vnde veſtimentum emeret, petiuiſſet. At ille tacitus ambulans, eiectum grandem piſcem palpitantem vidit in littore, cumq́ue illis fauentibus, atque adiuuantibus, apprehendit, & cuidam coquo Carchoſo nomine, bene Chriſtiano, ad coquinam conditariam, indicans quid geſtum ſit, trecentis follibus vendidit, lanam comparare inde diſponens, vt vxor eius quomodo poſſet ei, quo indueretur, efficeret. Sed coquus conſcidens piſcem, annulum in ventriculo eius inuenit, moxq́ue miſeratione flexus, & religione perterritus, homini eũ reddidit, dicens: Ecce quomodo viginti martyres te veſtierunt.

tyres, tandẽ repperit vnde quod perdidit cõpẽſet.

Aliud contigit ante annum 410.

Ad aquas Tibilitanas Epiſcopo afferente proiecto, reliquias martyris glorioſiſsimi Stephani, ad eius memoriam veniebat magnæ multitudinis concurſus & occurſus. Ibi cæca mulier, vt ad Epiſcopum portantem pignora ſacra duceretur, orauit: flores, quos ferebat dedit, recepit, oculis admouit, protinus vidit. Stupentibus qui aderant, præibat exultans, viam carpens, & viæ ducem vlterius non requirens. Memorati memoriam martyris, quæ poſita eſt caſtello Synicenſi, quod Hipponeſi coloniȩ vicinum eſt: eiuſdem loci. Lucillus Epiſcopus, populo præ-

Mulier circa viſum recipit ad memoriam S. Stephani.

Fiſtula laborãs cõtactu reliquiarũ ſ. ſtephani ſanatur.

cedente,atque ſequente, portabat, fiſtula cuius moleſtia iamdiu laborauerat, & familiariſsimi ſui medici,qui eam ſecaret, operiebatur manus illius piæ ſarcinæ vectatione, vbi ſanctas attigit reliquias,repente ſanata eſt. Nam deinceps in ſuo corpore non inuenit.

Aliud ante annum 420.

Calculo laborans ad memoriã ſ.ſtephani eripitur.

Eucharius præsbyter ex Hiſpania Calamæ habitãs, veteri morbo calculi laborabat,per memoriam ſupradicti martyris,quã Poſsidius illò aduexit epiſcopus, ſaluus factus eſt. Idẽ ipſe poſtea morbo alio præualeſcente,mortuus ſic iacebat,vt ei iam pollices ligarentur : opitulatione memorati martyris, cum de memoria eius reportata fuiſſet, & ſuper iacẽtis corpus miſſa ipſius præsbyteri tunica ſuſcitatus eſt.

Fere mortuꝰ ope ſ.ſtephani excitatur.

Ex eodem eodem tempore.

Infidelis baptiſma ſuſcipit conuerſus precibus S. ſtephani.

Fuit ibi vir in ordine ſuo primarius, nomine Martialis,æuo iam grauis, & multum à religione abhorrens Chriſtiana. Habebat ſanè fidelem filiam,& generum eodem anno baptizatũ. Qui cum ægrotantem multis & magnis precibus, & lachrymis rogarent, vt Chriſtianus fieret,prorſus abnuit: eóſque à ſe turbida indignatione ſubmouit. Viſum eſt genero eius,vt iret ad memoriam ſancti Stephani, & illic pro eo, quantum poſſet,oraret, vt Deus illi daret mentem bonam, qua credere non differret in Chriſtum. Fecit hoc ingenti gemitu, fletu, & ſynceriter ardente pietatis affectu : deinde abſce-

dens, aliquid de altari florum, quod occurrit tulit: eique, cum iam nox esset, ad caput posuit. Tunc dormitum est: & ecce ante diluculum clamat, vt ad Episcopum curreretur: qui mecum fortè tunc erat apud Hypponem. Cum verò audisset eum absentem venire Præsbyteros postulauit. Venerunt, & statim se credere dixit: admirantibus atque gaudentibus omnibus, baptizatus est. Hoc quandiu vixit, in ore habebat: Christe accipe spiritum meum: Cum hæc verba beatissimi Stephani, quando lapidatus est à Iudæis, vltima fuisse, nesciret: quæ huic quoque vltima fuerunt. Nam non multo post etiam ipse defunctus est: Sanati sunt illic, per eundem martyrem tres Podagrici, duo ciues, peregrinus vnus. Sed ciues omnimodo: peregrinus autem per reuelationem, quid adhiberet, quando doleret, audiuit: & cum hoc fecisset dolor continuo conquieuit.

Tres podagrici sanati per s. stephanum.

Aliud circa idem tempus.

Audurus nomē est fundi, vbi ecclesia est, & in ea memoria Stephani martyris. Puerū quēdam paruulum cum in area luderet, exorbitantes boues qui vehiculū trahebāt rota obtriuerunt, & confestim palpitauit expirās. Hunc mater arreptum, ad eandē memoriā posuit, & nō solū reuixit, verūetiā illęsus apparuit. Sāctimonialis quædam in vicina possesione, quę Caspaliana dicitur, cū ęgritudine laboraret, ac desperaretur, ad

Puer obtritus boum vehiculo veste opertus quæ reliquias s. stephani contigerat, suscitatur.

eandem memoriam tunica eius allata est: quæ antequam reuocaretur, illa defuncta est. Hac tamen tunica operuerunt cadauer eius parentes, & recepto spiritu salua facta est.

Aliud ante annum 420.

Filia Baßi veste operta quæ reliquias martyris Stephani contigerat, à morte soluitur.

Apud Hipponem Bassus quidam Syrus ad memoriam eiusdem martyris orabat, pro ægrotante & periclitãte filia, eóque secum vestem eius detulerat: cum ecce pueri de domo cucurrerũt, qui ei mortuam nunciarent. Sed cum orante illo, ab amicis eius exciperetur, prohibuerũt eos illi dicere, ne per publicum plãgeret. Qui cum domum redisset, iam suorum eiulatibus personantem, & vestẽ filiæ, quam ferebat, super eam proiecisset, reddita est vitæ.

Aliud circa annum 415.

Rursus idem apud nos Hyrenei cuiusdam collectarij filius, ęgritudine extinctus est. Cúmque corpus iaceret exanime, atque aliis gementibus & plangentibus exequiæ pararentur, amicorum eius quidam inter aliorum cõsolantium verba suggeſsit, vt eiusdem martyris oleo corpus perungeretur. Factum est & reuixit.

Aliud contigit anno 424.

Super memoriam S. Stephani puer defunctus excitatur.

Itémque apud nos vir tribunitius Eleusinus super memoriã martyris, quæ in suburbano eius est, ægritudine exanimatum posuit infantulum filium suum. & post orationẽ, quàm multis cum lachrymis ibi fudit, viuentem leuauit.

Aliud contigit circa annum 425.

Decem quidam fratres fuerunt, quorum se-

ptem ſunt mares,tres fœminę de Cæſarea Cappadociæ,ſuorum ciuium non ignobiles, maledicto matris recenti patris eorum obitu deſtitutæ, quæ iniuriam ſibi ab eis factam acerbiſsimè tulit: tali pœna ſunt diuinitus coërciti, vt horribiliter quaterent omnes tremore membrorũ. In qua fœdiſsima ſpecie oculos ſuorum ciuium non ferentes quaquauerſum cuique ire viſum eſt, toto penè vagebantur orbe Romano. Ex his etiam ad nos venerunt duo, frater, & ſoror, Paulus, & Pauladia: multis aliis locis miſeria diffamante, iam cogniti. Venerunt autem ante paſcha fermè dies quindecim: Eccleſiam quotidie ingredientes, & in ea memoriam glorioſiſsimi martyris Stephani frequẽtabant, orantes, vt iam ſibi placaretur Deus, & ſalutem priſtinam redderet.

Frater & ſoror precibus ad ſ. ſtephanum fuſis à diro tremore liberantur.

EX AMBROSIO CONTIGIT
circa annum 390.

Notus homo eſt, publicis cum valeret mancipatus obſequiis, Seuerus nomine, lanius miniſterio. Depoſuerat officium poſtquam inciderat impedimentum. Vocat ad teſtimonium homines quorum antè ſuſtentabatur obſequiis. Eos iudices ſuę viſitationis accerſit, quos habebat teſtes & arbitros cæcitatis. Clamat, quia vt contigit fimbriam de veſte martyrum, qua ſacræ reliquiæ veſtiuntur, redditum ſibi lumen ſit. Nonne ſimile, illud eſt, atque illud quod in Euangelio legimus?

Lanius cæcus contactu fimbriæ martyrum viſum recipit.

Ex Augustino contigit anno 391.

Lib. de cura pro mortuis cap. 17.

Dæmones rugiūt apud sepulcra S. Geruasij et Prothasij.

Mediolani apud sanctos Geruasium & Prothasium martyres expresso nomine, sicut defunctorum quos eodem modo commemorabant, adhuc viuum dæmones Episcopum confitebantur Ambrosium, atque vt sibi parceret obsecrabant, illo aliud agente atque hoc cum ageretur omnino nesciente.

Ex Paulino contigit anno 400.

In vita S. Ambrosij.

Detractoris laudis S. Ambrosij pœna.

Donatus quidā Apher, presbyter tamen Ecclesiæ Mediolanensis, cum in conuiuio positus, in quo erāt nōnulli militares religiosi, detraheret memoriæ sacerdotis, aspernātibus illis, & desserētibus linguā nequā, subito vulnere percussus graui, de eodem loco in quo iacebat alienis manibus subleuatus, in lectulum positus est atque inde ad sepulcrum vsque perductus.

Ex vitis Patrum contigit anno 390.

In vita S. Eufrosinæ.

Monoculus restituitur at tactu S. Eufrosinæ.

Quidam frater vnum habēs oculum, osculatus est vultū S. Eufrosinę cum lachrymis, statimq́; vt eam tetigit, oculus eius ei restitutus est.

EX THEODORO EPISCOPO

Pentapoleos contigit ante annum 300.

Vide lib. 3. Damasc. de imaginibus.

Vir cuius seruus furatus fuerat multā vim pecuniæ ad imaginē martyris cōuersus, tandē quod amisit recuperat.

Vir quidā de regionis illius primoribus, nomine Dion, qui multis donariis sancti martyris tēplū exornauit, insup & altare & ad id amictū ex argēti bracteolis affabre fecit. Huius viri vnus è famulis, suffuratus pecuniæ nō exiguā vim, fugā sibi cōsuluit. Et fugā hanc nō est persecutus Dion, sed ad S. Martyris imaginē se cōuertens, ipsius similitudinem ac figuram impresśit cerę, suaque fide in S. Martyrem reiecta, eam affixit

ostio vestibuli sacræ ædis. Hac apposita, seruus quasi à quopiam instigatus ad se rediit, venitq; ad dominũ suũ,ac nihil eorũ quę suppilarat,dis- periit. Hoc igitur simul atq; resciuerũt omnes, in hodiernũ vsquę diẽ obseruant illius regionis incolę,aduers⁹ cõpilatores & refugas famulos.

Ex Palladio contigit anno 350.

Ad Innocẽtium Abbatem aliquando adductus est nobis vidẽtibus adolescens quem inuaserat spiritus & paralysis,vt ego cum vidissem volue rim aperte matrem expellere eiusqui fuerat ad- ductus,desperans eum posse curari. Accidit au- tem vt interim veniens senex hanc videret ad- stantem, deflentemque & eiulantẽ propter in- enarrabilem calamitatem filij.Lachrymatus er- go præclarus senex & cõmotus visceribus, ac- cepto adolescẽte ingressus est in suũ Martyriũ quod ipse ædificarat, in quo sitæ sunt reliquiæ sancti Ioãnis Baptistæ: & cũ pro eo orasset vsq; ad horã nonã ab hora tertia,sanũ reddidit adole scentẽ, & eodẽ die & paralysim expulit & dæ- monẽ. Erat autẽ talis eius paralysis, vt spuens puer tergum suũ conspueret.Ita erat inuersus.

cap.103. historiæ suæ quæ dicitur lausiaca.

Paralyticus adolescens in Martyrium S. Ioannis Baptistæ delatus, sanatur.

Ex Theodoreto contigit circa domini annum 390.

Theodosius magnus fuso primum exercitu, cũ se in ædiculam sacrã recepisset oraturus, mane cum galli cãtare solent præter animi sententi- am somno obrutus est:humique stratus videre visus est duos viros candidis vestibus,vectos al bis equis,qui bono esse ipsum animo iuberent, & formidine pulsa cum illuxisset , armatum exercitum instructumque educere ad pugnam,

li.5. historiæ Ecclesiast. cap.24.

S. Ioãnes Euãgelista & Philippus Apostolus Theodosio magno apparentes, victoriam pollicẽtur: quã & tandem obtinet.

se enim missos opitulatores, propugnatoresque ipsius esseque vnum Ioannem euangelistam, alterum Philippum Apostolum. Hoc viso conspecto à supplicando nõ destitit imperator, sed maiore cum cura deum precabatur. Idem visum & militi cuidam oblatũ fuit, qui cum centurioni indicasset suo, adducitur ad tribunum, & mox ad ducem. Is rei nouitate motus, Imperatori nunciat: At ille, non mea, inquit, causa hoc iste vidit, ego enim promissionibus victoriæ fidem habui: sed ne quis putaret hoc visum à me confictum esse, qui tantopere cuperem confligere: itaque & isti demonstrauit opitulator Imperij mei, non testimonij authoritas deesset narrationi meæ. Quare omni formidine abiecta propugnatores & principes belli sequamur, neque quisquam, victoriam pugnantium multitudine æstimet, sed ductorum consideret quisque potentiam. Hæc & apud milites locutus, confirmatis omnium animis copias de mõte produxit. Tyrannus quoque de procul conspecto hoste, quem pugnaturum cerneret, suos instruit, ipse collem occupat, iubetque duces viuentem, vinctumque Imperatorem sibi adducere. Sed etsi hostes Theodosianos numero superarent, cum pugna vtrinque fieret coorta vis venti hostibus contraria, auertit sagittas illorũ & balistas ac hastas, neque vllius teli vsus erat, neque legiones, vel sagittarij, vel funditores, nocere regis poterant copiis: quinetiam illatus puluis ingens in ora hostium oculos ape-

rire non ſinebat,cogebatquedefenſionem palpebrarum ad oppugnatos illos adducere.At regius miles nullo affectus tempeſtatis tantæ detrimento,confidenter ad cædem hoſtium graſſabatur.Qua re animaduerſa,& perſpecta diuina opitulatione,abiectis armis ad petendam ſalutem hoſtes conuertebantur. Quam leni animo rex concedens, celeriter adducere ad ſe tyrannum imperat.Ibi illi procurrentes ad tumulum , quem tyrannus inſiderat eundem vinctum adducunt, qui & tandem capite truncatus eſt.

EX GEORGIO ALEXANDRI-
no contigit circa annum. 400.

Cum delatæ eſſent apud Comanos S. Ioannis Chryſoſtomi reliquiæ, vir erat cuius pes præmorſus fuerat à ſerpente,qua ex re claudicabat. Hic ſane iugiter aſsidebat Eccleſiæ foribus ſtipem emendicans: Exurgens igitur cępit & ipſe vna cum omnibus procidere ſanctarũ reliquiarum venerationi. Sane è ſepulcrali panno laciniam ſiue fruſtulum accepit, quo & pedem inuoluit claudicantem,& ecce confeſtim atque è veſtigio pedem ſuum expandit ſanum effectũ, quaſi nullum vnquam ſenſiſſet dolorem. Exiliuit ac prodiit ad Eccleſiam,quaquauerſum hinc illinc curſitans, Deo gloriam ac laudem rependens, imitator illius quondam claudj factus,aſſidentis ſpecioſæ portæ, qui & per Apoſtolos Petrum & Ioannem integræ ſanitati reſtitutus eſt.

In vita. S. Ioannis Chryſoſtomi

Claudus attactu panni ſepulcralis. S. Ioannis Chryſoſtomi ſanatur.

Ex eodem aliud contigit circa idem temporis.

Ibidem.

Podagra & chiragra laborans attactu Vrnæ Ioãn Chrysostomi conualescit.

Turbæ Constantinopolitanę introducunt quẽdam podagra & chiragra laborantem, qui plurimo tempore non quiuerat ambulare super terram, nõ etiam quiduis suis manibus tenere: sed gestabatur, & parte multo maxima vitæ sic conuersatus degit. Arctissime enim obtorti erant & adstricti pedum manuumque digiti, eiúsque brachia retorrida erant, & instar arundinis arefacta. Hunc collocarunt secus conditorium, siue vrnam sancti Ioannis Chrysostomi. At ille cum profluuio lachrymarum plena nitens fide inclamans dicebat: Pater sancte respice ad hanc meam humilitatẽ. Vide obsecro qua conflicter tribulatione. Necessitatem, morbi istius qui me circunsidet & vndique cingit, attendito. Deum pro me fac ores, qui nullo non tempore per te inuocatus curat & medetur, vt suo munere gratuito mihi impartiatur sanitatem. Hæc cum dixisset, primoribus pedum ac manuum suarum digitis, attigit vrnam reliquiarum, & ecce hora eadem pedibus instaurata est sanitas, ac in integrum restituta Exurgens autem ac rectè insistens pedum plantis, manus insuper suas expandit super vrnam, eamque exosculabatur cum effusione lachrymarum obsecrãs, sibi vt perfectam medelam conferret. Extemplo manus ipsius pristinæ incolumitati de integro restitutæ sunt, quin-etiam digiti sunt obeundo priori officio instaurati. Ille nulla non parte corporis sanus effectus, deo rependebat gloriam,

ac benedicebat, ſanctiq; eius prędicabat gratiā.

Ex S. Victore Vticenſi Epiſcopo contigit anno 450. *li.1.perſec. Africa.*

Nobis quondam beatus Fauſtinus Burtiuitanus Epiſcopus atteſtatus eſt, cęcam quandam mulierem illuminatam fuiſſe in ſepulcro S. Martyrum, vbi ipſe aderat præſens. *Caca mulier illuminatur in ſepulcro ſ. martyrum.*

Ex eodem aliud.

Cū in mare venerabilia corpora ſanctorū Martyrum ſeptem clericorum tyrannus Vvandalicus iactari iuſsiſſet, illico quod contra naturam eſt equoris eadem hora illæſa corpora pelagus littori reddere maturauit. Nec auſum fuit, vt moris eſt, triduana dilatione in profundo detinere, ne præcepto dominico minime pareret. Ad quod miraculi genus & ipſe tyrannus licet impœnitens, vt fertur, expauit. Gaudens autem quæ aderat multitudo corpora ſanctorum Martyrum diligenti tradidit ſepulturæ. *Lib.4.perſec. Afric.* *Corpora ſanctorū in mare iacta natant.*

Ex Euagrio pratore contigit circa annum domini 500. *Li.1.ca.13.*

Vidi ſacrum S. Simeonis verticē, qui ſub Theodoſio iuniore vixerat. Et quod mirabile erat, ca pilli capitis nondum corrupti, ſed perinde ſalui atque incorrupti erant, atque fuerāt cum adhuc in viuis eſſet, & inter mortales conuerſaretur. Denique cutis in fronte licet corrugata, & emortua eſſet, erat tamen adhuc integra: & ex dentibus plures, qui manibus hominum nondū erant violenter exēpti, ipſo aſpectu prędicabant qualis ac quantus homo dei fuerit ſimeō. *S. Simeonis vertex longo poſt eius mortem tempore manſit incorruptus.*

Ex eodem.

lib.2.cap.3. Tumba S. Euphemiæ stillas medicas remittit.

Tumba preciosa illa in qua sacrosanctę sunt reliquiæ S. Euphemiæ Martyris, stillas emittit, quæ locum illum bene fragranti odore adimplent, qualem nulla habet mortalium consuetudo. Neq; enim similis est ei qui ex pratis floridis prouenit, neque ei qui ex fragrantissimis aromatibus emittitur, neque talis est, qualem vnguentarius aliquis facere queat, sed peregrinus & superexcellens, virtutem suam quã producit, ex ipsa martyre accipiens & exhibens.

EX NICEPHORO CALLISTO

Contigit circa annum 480.

Ecclesi. hist. lib.15 c.25. Pulcherrima historia. Occasio construendi tẽpli D. Virgini Mariæ.

Leo nondum Imperator cũ in loco matri Dei consecrato post menia Constantinopoleos stadio vno deambularet: vbi olim fons limpidissimus fuerat, tum autem dumis & sentibus inuius, in hominem cæcum tota via errantem incidit, & vicem eius miseratus manu eum duxit, oculi ei vicem præstans, gressúmque eius per loca plana dirigens, si quid in itinere spinarũ aut duri esset, quod incedentem offendere posset, remouit. Et iam itinere aliquanto confecto, prope cęnosum hunc locum venerant :(quo fons delitescebat) cæcusque ille siti plurimum conficiebatur, & quin concideret parum aberat, ita humor omnis in eo æstu vehementissimo exaruerat. Itaq; Leoni valde institit ab eoque crebrius contendit, vt siti eius mederetur, & viæ laborem in vmbra quapiam aliquantulum recrearet. Erat hoc inenarrabilis cognitio-

Leo adhuc priuatus cæcum hominẽ in via ducẽs in fontẽ mirificũ incidit.

nis, & sapientiæ dei, quæ mirifice omnia instituit. Ille igitur misericordia erga pauperem motus, densam syluam omnem perlustrauit: & si quis aquæ humor ibi scateret, scrutatus est. Vt verò post fatigationem multam infecta re ad illum rediit, & anxiè admodum quiritaretur quod misero illi in tali casu nihil solatij conferre posset: vocem incredibilem præter opinionem omnem ex alto ad se delatam audit, quæ diceret. Non ita anxietate te macerari oportet Leo, Ecce aqua prope est. Proinde noua hac voce cõsternatus, denuo vndam inquirere institit. Sed & ipse cæcus prorsus fuit. Circum eam enim versabatur, minime tamen eam videbat: quod & syluæ densæ opacitas ei obstaret, & cœnum profundius illum inde remoueret. Quapropter partim indignans, quod quem manu duxerat cæcus eam ærumnam pateretur: partim vocem eam in animo fixam considerans, & aquam rursum inuestigans, denuò eam ipsam exaudiit suaue quiddam, & facetum cœlitus sonantem vocem. Nam & de nomine eum compellauit, & Imperialem dignitatem primo quoque tempore ei aduenturam certo denunciauit, ita inquiens: Leo Imperator densum hunc & vmbrosum locum ingressus, turbidam aquã hauri, eaq; sitim hominis ægri refice: & limum cœnosum manibus cape, quo cæci oculos inungas. Quæ verò sum dudum hunc obtinens locum, eoque me oblectans, mox scies. Tu fac vt ædem hic mihi sacram construas, in qua identi-

Vox è cælo delata.

Leo cœlitus Imperiũ promissum.

Templũ dei genitrici cõdere iubetur.

dem verſer, & ſuauiter deambulem in qua etiam precantibus omnibus, locumque hunc cum ardore & fide certa adeuntibus, optata pręſtem omnia. Neque quidquam eſt prorſus quod mihi aduerſetur, & non continuo poteſtati meæ ceſſurum ſit, etiamſi dęmon ſit, aut morbus qui omnem ſuperet medicinam, aut aliud quidquã quod factura non ſim, dummodo rectè piéque ſit petitum. Verbis eis Leo parens cænum & vndam ad cæcum parum id iam curantem, vt in quo ſpiritus propè extinctus eſſet, attulit: & oculos eius luto, non ſecus atque ſeruator illius à natiuitate cæci, liniuit: deinde etiam aquam præbuit oculos attrectanti. *Ecce antem maieſtas & magnificentia tua, ô Dei genitrix ſe exhibet, & miſero illi aqua turbida, & lutum Siloe fit.* Confeſtim enim viſum recipit, & diuturnas abiicit tenebras, oculos præter ſpem omnem ſolem, ſeu potius cænum & lutum inſpiciens. Sicuti namque ſol primùm, qui viſui lucem primus dat, ab eo conſpicitur: ſic tum lutum quod lumen illi ſubminiſtrarat, primùm ab eo eſt conſpectum. Qua in re illud etiam admirandum fuit. Nam quod oculis valentibus maxime aduerſatur, id tum natura & vi ſua depoſita, ſalutare eſt factũ. Leo poſtea pro eo atque ei Dei genitrix prædixerat, ad Imperiale ſublatus faſtigium, ſtatim pro tanto illius in ſe beneficio, ei gratiam rependit. Et loco eo repurgato, & fontis vena altiſsimè inueſtigata & reſtituta, quidquid erat cæni & terræ aggeſtæ eiiciendum curauit: &

Magna D. Virginis matris poteſtas.

Cæcus fontis cæno oblitus beneficio D. Virginis matris illuminatur.

Lutum oculis ſalutare.

Structura templi virginis matris.

fonte ipso circumquaque structura solida probe munito, delubrum Dei matri construxit, & ædificium ipsum supra fontem statuit.

Ex eodem Contigit anno domini 452.

Cum Calchedonense concilium in templo S. Euphemiæ martyris celebraretur, in Eutychem & Dioscorum, spiritui sancto & egregiis illis viris qui conuenerant, placuit: vt decretum cuiusque fidei in libello describeretur, & controuersiæ iudicium atque decisio laudatissimæ martyri & virgini Euphemiæ committeretur. Itaque immaculato & sacro corpori eius, velut sincero iudici, Orthodoxi & rectam sententiam obtinentes, simul & qui aliter opinarentur fidei suæ arbitrium committentes, vtrique seorsim fidei formulam in libellum suum relatam, & chartam vtramque clausulis atque sigillis obfirmatam ad Martyris pedes deposuere. Et nocte proxima precationibus consumpta, postridie venerunt, & monumenti operculo remoto, spectaculum nouum rectóque indicio dignum conspexere. Nam orthodoxorum rectéque sentientium libellus perquam tenaciter victricis illius Martyris manibus continebatur: alter autem tanquam res vana & nullius precij ad pedes illius proiectus iacebat.

Lib.15.hist. Ecclesia.c.5.

Causæ cath. & heret. iudicium cōmittitur sacro corpori S. Euphemiæ martyris.

Ex Procopio Cæsariensi contigit circa annum domini. 527.

Lib.1.hist. Iustinianus Imperator, appositis ipsius Genubus S.martyrũ reliquiis, sanitati confestim restituitur, qui fuerat breui moriturus.

Iustinianus Imperator cum grauiter ægrotaret adeo vt iam moriturus à medicis videretur accessit ad Irænes templum. Ibi reconditæ sunt reliquiæ iam olim virorum sanctorum quatuor: qui cum Romani essent milites in duodecima legione descripti fuerant, quæ in vrbe Armeniæ Melitene quondam fuerat constituta. Igitur cum lapicidę illic foderent, arculam inuenerunt scriptis quibusdam significantem quòd horum reliquias virorũ contineret. Quas nunc in apertum protulit Deus, qui ad id vsque tempus de industria earum videbatur oblitus. Nam Iustinianus tum forte grauiter ægrotabat, quia rheuma in genua prolapsum graui cruciatu virum conficiebat. Cuius rei ipse potissimum sibi causa fuerat. Nam diebus omnibus qui Paschalia festa præcedunt quæ ieiunia nuncupantur, dura quadam victus ratione vsus erat, quę non modo in rege absurda esset, verumetiam in homine quouis in repu. quoquomodo versanti. Duobus enim diebus perseuerabat absque vllo cibo, idque cum è lectulo summo mane surgeret, vigilaretque pro repub. sempérque & opere, & sermone negotia publica pertractaret matutinus ac meridianus, nec interim noctu cessaret. Nam cum cubitum iuisset profunda iam nocte, surgebat non multo post, veluti stragulis oneratus, & si quando cibum sumeret, à vino & pane cæterísque esculentis abstinebat, ac herbas duntaxat esitabat, eásque syluestres, longo tempore sale atque aceto maceratas: potúsque illi

illi erat duntaxat aqua. Nec harum tamen rerum ſatietas illum cæpit vnquam, ſed cum appararet conuiuium, hiſce guſtatis eduliis quæ ei conuenirent. Deinceps abſtinebat, quum non dediſſet naturæ quod ſatis erat. Hinc igitur inualeſcens morbus, medicorum auxilium ſuperabat. Interea verò quum de illis reliquiis audiſſet, relicta arte humana, fiduciam ad eas vertit, atque in ſumma neceſsitate veris opinionibus adiutus eſt. Quum enim ſacerdotes arculam genibus imperatoris impoſuiſſent, confeſtim morbus euanuit, vi pulſus ab eorum corporibus quæ Deo ſeruierant. Cũ quidem non ambiguum Deus Optimus Maximus ſignũ rerum futurarum oſtendit. Oleum enim repentę effluens ex ſacratis illis reliquiis, ſcaturiénſque ſuper arculam, pedes ac veſtes regias quæ purpura totæ conſtabant, perfudit. Ideóque veſtis ſic oleo peſuſa ſeruatur inter opes regias, veluti teſtimonio futura de his rebus quæ illic contigerunt.

Oleum medicũ effluens ex S. reliquiis.

ORATIO F. THOMAE BEAVXAMIS CARMELITÆ ad omnes sanctos.

Ode dicolos tetrastrophos.

Ad d. Virginem matrem.

INfectus vitiis, aucupio ducis
Captus tartarei, te genitrix dei
Te regina poli, fletibus irrigans
Os, mentem, atque animam peto.
Ne me despicias, ne lachrymabilem
Indignúmque tuo subsidio licet,
Expellas: refugus casta per vbera,
Suxit quæ altitonans deus:
Te te per varias sollicitudines,
Per suspiria: perq; anxia pectora,
Cum natus lacero corpore spiritum
Patri redderet edita:
Te per gaudia, quæ filius intulit
Deuicto rigidi principe tænari,
Exoro alma parens: ne procul exulem
Expellas, potius faue.
Circumuenta dolis, vt laqueum strui
Sensit virgineæ durius indoli,
Te iustina petit, te domini vocat
Matrem, te decus Ætheris:

Effunditque preces, nec mora vinculis,
Et duris Sathanæ soluitur artibus:
Immo qui veneris captus erat nodis,
Christi colla dedit iugo.
En me tot laqueis implicitum vide
Cæli stella micans, lampade flammei
Phœbi lucidior, celsior omnibus
Virgo cælitibus, Cherub,
Cunctisq; Angelicis fulgidior choris,
Peccati tenebris, & lue squallidum
Ne me despicias, sed prece filio
Oblata miserum iuua.
Quæso sparge comam sidereum decus:
Christi accende gregem, dira caliginum,
Et quam tetra agitant nubila schismatum,
His surgátque periculis.
Errantem hoc pelago, pulsam aquilonibus,
Aduersisque notis dirige cælitus
Cymbam: quæ scopulis eruta sit tua,
Et portum teneat prece.
Et vos cælicolum sancta phalanx, Deus
Ante erecta poli celsa cacumina,
Libratum medio quam strueret solum,
Quos sese voluit frui.
Vos exercitus, & siderea agmina, *Ad s. Angelos.*
Matutina sacras Astra canentia
Laudes, Aetherei principis, Angeli,
Victores Cacodæmonum:
Custodes hominum, spiritus ignei
Nunquam non vigiles, virginei duces:

Vestris auxiliis pellite debili
Instantem sathanam mihi.

Ad Prophetas & Patriarchas.

Vos primi proceres, vósque Prophetico,
Qui Christi è Maria prima crepondia,
Qui miracula, qui dogmata spiritu
Spectastis, obitum trucem.

Et te praeco sacer, Melliflui tuba

Ad d. Ioannem baptistam.

Verbi, qui Dominum Matre reconditus
Nosti, terrigenis sanctior omnibus,
Pro me funde preces deo.

Vos Christi comites, vos fluidi duces

Ad Apostolos & discipulos.

Mundi, Discipuli, vos quoque Martyres,
Qui tormenta, rogos, vincula, carceres
Passi: queis gladij truces,

Ad martyres.

Accensaeque faces, atque tyrannicae
Cesserunt furiae, supplicia & minae:
Vt firmata fides, puraque veritas
Et caelo fieret via.

Quorum vox melior personuit, neci
Cum vos pacificas traderet hostias
Tortor, quam madido sanguine puluere,
Poenas de fratre postulans.

Vos tersae charites, vos Eros extulit
Caelo, vos rapidus zelus, & inclyta
Vos dilectio, quam flumina mergere
Sed nec perdere mors potest.

Ad s. Virgines.

Ad vos confugio, supplicibus fero
Et vota, & tremuli naufraga pectoris,
Errantisque animae dura pericula:
Vt vestra eripiar prece.

Vos Matris comites, quæ dominum tulit
Cælique artificem, virgineum decus:
Quæ diram illuuiem carnis, & horridæ
Vicistis veneris dolos.
Nec vos deliciæ, dira cupidinum
Sentina, illecebræ, Crassa procacitas,
Nec mulsere ioci, nec petulantia
Inferni stimuli ducis.
Sed castæ à teneris, & stabiles viro
Christo, ecce attigitis sidereum iubar,
Insertæ Angelicis atque Phalangibus
Diuinum canitis melos.
Vos pulsate Deum, propitium mihi
Sponsum, cuius amor pectoribus sacer
Vestris hæsit, vt his sordibus erui
Et carnis stimulis meæ
Poßim, reddite: vos suauiloqui Patres: Ads. Doctores & Pastores.
Qui verbo aßiduo nunc violentiam
Fudistis Sathanæ, nunc mala dogmata
Sectas, schismata, murmura,
Et qui suppositas voce calumnias
Vicistis, melior quo reuiresceret
Doctrina: ô vitiis claßica clangere
Docti, nos vitium vetus,
Et radice mala torridus obruit
Vermis, schismata nos, seditionibus
Et mendacia nos plena miserrimis,
Collectúmque gregem obsident.
Nostrum præsidium sitis, vt Æthere
Tandem propicio, tecti Adamantina

Sicut pelle, feras rumpere machinas
Poßimus, Sathanæ & minas.

Ad monachos. Vos olim nemorum lustra per obsita
Per rupésque cauas, & iuga saxea,
Hirsuti trucium pelle animantium
Asceta, Aetheree domus
Nunc ciues, fragilem vasta per æquora
Nauem præsidiis dirigite, integris
Tandem vt nauigiis fortiter occupem
Portum sidereæ domus.

Ad omnes sanctos. Vos omnes superum flammiferi Chori,
Quos dilectio, quos plenius imbuit
In languentia nos membra charis, quibus
Præsto est cunctifremi fauor:
Summum orate Deum, fundite supplices
Ter votiua precum thura, & odoribus
Aspersas phyalas porrigite, vt mihi
Concedat veniam Deus.
Me purget, foueat, protegat, erigat
In sublime bonum, nec scopulis maris
Allidi, aut volucrum cantibus atteri
Sirenum, aut Borealibus
Permittat furiis me ruere: O sacra
Pro me sponde Phalanx, pro grege Candidi
Christi, vt dira lues, sauáque schismatum
Florentum illuuies cadat.

Istorum temporum dira calamitas excitata ab Hagiomachis. Ecce impuri Athei templa, sacerrimas
Vrnas, Cælituum dignáque nominis
Argumenta, solo spargere Gnostici
Certant, & miseri student

Vos tandem eruere ex pectoribus virum:
Ac si cum superum nomina raserint,
Summo bella Ioui durius inferant,
Expungántque memoriam
Supremi artificis: sed prohibet minas
Ille hic omnipotens, monstra tot horrida
Qui verbi resono fulmine contudit:
Vestræ hoc impediant preces.
Ne permittite nos in Sathanæ manus
Deduci, aut miserum perfidiæ iugum
Imponi, adueniat sed trepidantibus
Nobis æthereus fauor.

AMEN.